6
21-f
4

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 K
4

Bibliotheca
i Coll. Rom.
ociet. Jesu

21-f-74

21
f
52

I

~~ex libris~~

~~Alexandri Pernati~~

~~6 2~~ 64

IO. BAPTISTAE ARCVCII NEAPOLITANI ODARVM LIBRI II.

Collegij Rom. Soc. Jesu cat. inscrip.

AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM POLONIAE REGEM.



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

B. S.

POTENTISSIMO, INVIctiſſimoq; Sigismundo Iagellonio Auguſto, utriusq; Poloniæ, Ruſſiæ, Pruſiæ, & Maſouiæ Regi Ioannes Franciſcus Brancaleo utriuſq; Academiæ Sirenorum, & Eubulorum Præſes felicitatem.

CVM clariſſimorum virorum præconio rerum geſtarū gloria, maximarumq; virtutum tuarum ſplendor, Rex feliciſſime, non modò inclytam Parthenopen impleuerit; ſed per uniuerſam Italiam longelateq; fulgeat, nemo eſt quin majeſtatem tuam admiretur, veneretur, quàmmaxime diligat, tantum non adoret. Non eo inficias ſumma reuerētia digniſſimum

Regis titulum; tot validiſſimarum gentium, quarum arma ſenſêre Romani rerum domini, gens ipſa togata; tot prouinciarum, ac regionum, quibus imperas dominium. Aſſurgendum pariter eſſe cunctis hominibus tot majorum tuorum imaginibus, coronis, triumphis, tam affabrè ſummis naturæ viribus cōpacti corporis dignitati, auctoritati deniq;, opibus, & felicitati tuæ. ijs tamen omnibus lumen, quod à virtute proficiſcitur, præponere non verebor. huius enim ſolius vera laus, veruſq; honor (vt ſapientiſſimi litterarum monimentis prodidêre) vera merces, præmiumq; cenſetur. Vitium Cæſarei ſanguinis Neronem reddidit infamem: Virtus tot humili & obſcuro loco natos celebres & illuſtres. O ſummam Virtutis vim & poteſtatē; qua ſæpe quos nunquàm vidimus, amamus: quæ ſi humanis cerneretur oculis aut nullos aut paucos mutaret Vitium in belluas. Simul igitur cum ijs maximis bonis Fortunæ & corporis ſuſpicimus, reueremur,

& colimus diuinam propè ſapientiam tuam, ſingularem prudentiam, & juſtitiam in regendis populis, ſacroſanctæ Fidei & religionis in tanta temporum calamitate puritatem, Heroicam fortitudinem, qua non modò immaniſſimos Moſchouitas, Roxolanos, Scythas, aliasq; finitimas gentes; ſed cunctas animi perturbationes interdiu noctuq; aduerſus rationem inſurgentes egregiè viciſti, in rebus omnibus nunquàm ſatis laudatum modum, ſtudium erga virtûtis ſtudioſos omnes, & præcipuè litteratos viros, quos aſſiduè honoribus euehis, liberaliſſimè juuas & foues.

Antraq; Muſarum lõgo torpentia ſomno
Excutis, et placidos ducis ab ore ſonos.

Conqueruntur homines hoc ſeculo nullos eſſe Horatios, nullos Marones; conquerantur potius nullos eſſe Polliones, nullos Mæcenates. deſiderant Ariſtoteles, & Galenos; optent potius Alexandros & Antoninos. Admirantur quòd nulli ſint Papiniano & Vlpiano ſimiles;

admirari deſinant, cùm nulli ſint Seuero & Iuſtiniano ſimiles. Neglectu Principum languent Muſæ, litteræ abolentur, proſtrata jacet humi ſapientia. honos alit artes. virtus laudata gliſcit. Sint Męcenates, non deerunt Flacce Marones. His igitur nominibus vtraque noſtra Academia, quibus ego præſum meritò an immeritò alij viderint, non deſinit vna, alteraq; lingua, ſoluta oratione & carmine Celſitudinem tuam meritis proſequi laudibus. Et ſi ſciunt præ ſingulari modeſtia te nil minus cupere: id faciunt tamen, vt ſibi vel maximè ſatisfaciant, laudandi materiam ſortiantur optimam, & huiuſmodi exemplo alios Principes pari officio ad juuandos mortales ſollicitent, atq; accendant. Demum vnus ex omnibus Academicis Ioannes Baptiſta Arcucius Theologus grauiſſimus, Orator eloquentiſſimus, & Poetarum (vt nomen indicat) Princeps, natus ad immortalitatem ſuis carminibus quibus vult comparandam, cùm doctorum amicorum, meaq; in primis hor-

tatione, ac impulſu potius, aliquot ex ſuis Poematis edere ſtatuiſſet, Majeſtatem tuam delegit, cui labores ſuos nuncuparet, dicaretq́; . partim vt huiuſmodi munuſculo demonſtraret quem ex omnibus Regibus hac tempeſtate maiori reuerentia & honore dignum judicaret: partim vt tenellæ ſoboli conſuleret tot Vitiligatorum morſibus mòx exponendæ: quæ ſub tuo nomine, tuoq́; vexillo ne Iouis quidem fulmina pertimeſcet. Exiguū quippe munus, ſi tantæ Majeſtatis ratio habeatur; magnum, ſi verè Regiæ magnanimitatis: quæ non ſecus ac Deus opt. max. donantis animū amoris igne flagrantem pluris faciet, q̃ aurea pocula, phaleratos equos, ſmaragdos, aut pyropos, quę nec mediocris Fortunæ hominē mittere, nec Regem accipere deceret. Speramus igitur quotquot ſumus te hæc noſtra qualiacunq; nō contempturum, & ad plura, maioraq́; in dies ſcribenda tua Regia munificentia A R C V C I V M noſtrum excitaturum.

BERARDINI ROTAE
Neapolitani.

TV tu cæleſtis, non ille eſt Iridos arcus
Arcuci, Latiæ vox rediuiua lyræ.
Cæli Iris pluuij, tu nuntius ipſe ſereni;
Et tibi ſunt Phoebi munera mira magis.
Nam trahit ingenio maiori luce colores,
Carmine qui niteant tempus in omne, tuo.

ANGELI CONSTANTII
Neapolitani.

PRoxima grandiloquo Sinceri vt Muſa Maroni,
Arcucius propior ſic tibi Flacce lyra.
Hoc te maiori (ſi fas eſt dicere) laude
Dignior, Etruſco Principe quòd caruit.

IO. FRANCISCI LOMBARDI
Neapolitani.

ARCVM prolis Acidaliæ, Paphiæq; ſagittas,
Et Sapphûs ignes, Pindaricumq; melos;
Hæc paruo Arcucius concluſit cuncta libello,
Arcucius ſecli gloria prima ſui.

IANI PELVSII CROTONIATAE
AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM Poloniæ Regem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FELICEM nimis, & nimis beatum
Te magne Aeacide vocauit olim
Rex Macedoniæ; quòd ille laudis
Tuæ contigit eſſe buccinator
Vates Mæonides, cruenta bella
Troiæ qui cecinit. potes vocari
Feliciſſimus omnium virorum
SIGISMVNDE: quòd aptè, & eleganter
Nomen egregium tuum, & tuorum
Plectro concinuit ſuo ſonanti
Phœbei Arcucius chori voluptas.

FRANCISCI Chryſarij.

QVI ſibi varios cupit lepôres,
Et quotquot Veneres, Cupidinesq́;
Aſpersêre ſuis laborioſis
Vates Romulei, Atticiq́; chartis;
Quem vidêre oculis nouem ſorores
Naſcentem placidis, ſacri pöeta
Arcuci legat aureum libellum.

Qui Sirene ſua parente tanto
Felices magis edit ore cantus,
Quòd triplex Achiloïs in tumenti
Mergebat pelago canore captos:
Hic mouens noua plectra, delinitos
Secernens humili, rudiq; vulgo
Quos cantat, numero Deûm reponit.

IOANNIS BAPTISTAE
ARCVCII NEAPOLITANI
ODARVM LIBER I.

AD SIGISMVNDVM
AVGVSTVM POLONIAE REGEM,
ODE PRIMA.

NON deerunt alij, qui tua ſcribere
SIGISMVNDE velint inclyte fortia
Tot geſta; atq; genus clara ab origine
Tot Regum, quibus eſt fulta domus tua,
Deductum canere, atq; ætheris arduas
Ad ſedes liquidis tollere cantibus.
Me ſi Calliope magnanimi Iouis
Illuſtris ſoboles, dextera cerneret;
Inſigni canerem pectine plurima
Quæ quondam populos in Scythia truces
Magno conſilio prælia geſſeris.
Hoſtili quoties cæde Boryſthenes
Auctis gurgitibus fluxerit in mare:

Cùm paucis hominum millibus eius ad
Ripas cælicolis auxiliantibus,
Multas myriadas fœderis hoſtium.
Illum ipſumq; ferum Moſchouiæ Ducem,
Qui te p·ſſe tuis pellere ſedibus
Sperabat, trepidum ſollicito metu
Turpi terga fugæ compuleris dare.
Vt conſtans animi rebus in omnibus
Fortunæ fueris, ſiue ea te nigro
Vultu, ſeu potius viderit aureo.
Nam quo vel ſtadio currere pulchrius,
Aut certare mea non ſine gloria
Poſſem nunc alio? ſed mihi ſentio
Non eſſe huic humeros tanto oneri pares.
Quòd ſi facta velim Rex tua dicere
Muſa tam tenui, ridear omnibus:
Stultus nauta velut: qui tumidum parat
Sulcare Oceanum puppe Britannicum
Rimoſa & veteri: quæ rabiem feri
Vix ingreſſa maris, tota fatiſcat, &
Immenſis pereat fluctibus obruta.

Ad Paulum Stampoſchum, Regis Poloniæ à ſecretis.

ODE II.

EGreſſa rurſus Boſphorico freto
Ingens Scytharum claſſis, onuſta tot,
Tantisq; noſtrorum trophæis
Per Siculas ſpatiatur vndas:
Secura Diuorum atq; hominum obuia
Quæq; igne ferroq; oppida diripit,
Agros & incendit, nec vllis
Nauigijs violenta parcit.
Neptunus atris non tamen obruit
Illam procellis; & madidis Notis,
Eſcamq; veſanæ Charybdi,
Nec rabidæ dedit eſſe Scyllæ.
Cùm ſæpe noſtras tale nihil rates
Vnquàm merentes impius opprimat,
Nautasq; perfractos marinis
Piſcibus, alitibusq; iactet.
Non hæc Deorum non ſine numine
Stamposche fiunt optime: nam priùs
Qui cuncta nobis proſpera eſſe,
Ac reliquis dabat imperare:
Idem ille cæli conditor ardui
Regnare Turcas nũc iubet, omnium et.

Rerum potiri in Chriſtianæ
Dedecus, opprobriumq; gentis.
Quòd vna verum cùm teneat Deum,
Sanctasq; leges hauſerit ipſius
Ex ore, deberetq; cunctas
Sic alias ſuperare gentes
Virtute, vt almus Sol reliqua omnia
It ante cæli ſidera lumine,
Prô Iuppiter ſupreme quantis
Nunc vitijs iacet inquinata.
Gens illa, mundus quàm fieret priùs
Electa, ſedes vt nitidi ætheris
Factas beatorum ruina
Cælicolûm vacuas haberet;
Nunc ecce ſummiq; ætheris, & Dei
Oblita quo fert cumq; animus, ruit;
Seq; ipſa mergit, pertrahitq;
Sub Stygij tenebras Auerni.
Ergo ipſe iure vt commeriti ſumus,
Omnes reliquit nos Deus, & niſi
Sententiam mutemus, atq;
Ex animis vitia abluamus;
Nos eſſe inultos non ſinet amplius,
Virgaq; plectet deniq; ferrea.
Iamq; ecce Turcarum tyrannus
Terra agitat miſeros, mariq;;
Omnesq; noſtras perdere opes breui,

Clarumq́; nomen cum genere inclyto
Extinguere omnino, paratq́;
Cuncta manu capere obſtinatus.
Fortuna cœptis illius improba
Aſpirat, Euriq́;, & Zephyri fauent,
Pontumq́; turbantes procellæ
Illius imperium faceſſunt.
Contraq́; nobis omnia peſſimè,
Læuoq́; cedunt omine. certè ego
Cùm cladis illius recordor
Heu nimium nimium dolendæ:
Quam noſtra nuper claſſis in Africis
Accepit vndis, ad vada Syrtium
Iniqua, riuos lacrymarum
Vix oculis cohibere poſſum.
Ampla illa claſſis Regia, quam modò
Horrebat omnis Barbaria, vt ferum
Adeſſe cognouit Draguttum,
Iamq́; auidum properare pugnæ;
Repentè turpem ſe dedit in fugam
Diſperſa, quamuis maior, & omnibus,
Quàm Barbarorum claſſis eſſet
Præſidijs magis aucta belli.
Ergo Libyſſæ ſanguine militum
Noſtrorum arenæ nunc etiam rubent:
Sed iſta præſtat noctis inter
Perpetuas tenebras latere.

Ad Apollinem.

ODE III.

O Teſtudinis aureæ
Inſignis fidicen, ſacrum
Latonæ genus, & Iouis
Præpotentis Apollo:
Quem Python tremuit ferus,
Cùm cinctus pharetra graui
Vibrares tua iam puer
Certo ſpicula cornu.
Seu te nobilis arduo
Pindus vertice detinet,
Seu colles Erymanthij,
Seu Latonia Delos:
Siue Caſtalidum chorus
Nunc inter choreas habet;
Seu mundum irradians, diem
Fers mortalibus ægris;
Adſis huc pede candido
Fons ô luminis, ô pater,
Siderumq; vagantium
Rex clariſſime Titan.
Qualem te memorant Iouis,
Saturno profugo patre,
Quondam pectine eburneo

Laudes concinuiſſe,
Vt ſub nigra videlicet,
Fractis fulmine montibus,
Telluris ſobolem trucem
Deturbarit Auerna;
Iamq; è ſedibus algido
Depulso æthereis metu,
Imo Tethyos è ſpecu,
Quò ſe ſcilicet omnis
Turba cælicolûm pauens
Occultauerat, ipſe iam
Victor rurſus in æthera
Cælites reuocarit.
Addis Falcifer vt ſenex
Nati permetuens graues
Iras, Orbis in angulo
Aeternùm latitarit.
Cùm de ſorte miſer ſua
Conqueſtus nimis aſpera,
Vaſti per maria æquora
Tuſcum venit ad amnem;
Sanctus hìc vbi Romulus
Vrbem condidit, ardua
Qua maius nihil vſpiam
Vidit regia Olympi;
Hæc & plurima, tinnulam
Plectro percutiens chelym,

Cantas, inuida quæ modò
Nobis occulit ætas.
Adſis, & mea carmina,
Dum cælum volucri rota
Luſtrabis, fer in omnia
Tecum ſecula Phœbe,

De Hieronyma Columna.

ODE IIII.

NVnc ſume blandam Melpomene lyram:
Dicenda nobis eſt Hieronyma
Columna vatum firma, veſtri
Firma chori Aonides Columna.
Nam ſi decorum eſt naſcier inclyta
De ſtirpe quenquam; vix queat altera
Terras per omnes inueniri
Progenie ſata clariori.
Vt cui paternum ſit genus à ſacra
Columniorum gente, Aragoniis
Ab Regibus materna origo:
Queis nihil extitit Orbe maius.
Si quid venuſtas oris amabilis,
Ille & iuuentæ tam roſeus nitor
Veræ merentur laudis, vna
Prænitet hæc aliis puellis:

Qualis Diones filia, maximi
Iouis voluptas, & decus ætheris
Perenne, Diuas inter omnes
Alma Venus ſpecie refulget.
Sunt iſta certè maxima, quis neget?
At vna Virtus ex Acherontijs
Aufert tenebris, vna ſummis
Nos ſimiles facit eſſe Diuis.
Virtutis olim munere Romulus
Cælum petiuit: fortis & Hercules
Relatus eſt Diuorum in album
Concilio Iouis approbante.
Aeuoq; noſtro gentibus omnibus,
Quas ille rexit, collacrymantibus,
Hanc ipſam ob vnam cæli in arcem
Vidimus Auſtriaden receptum.
Præclara Virtus, qua mihi ceteris
Præſtat puellis, hæc Hieronymam
Vel ſola quondam collocabit
Sedibus æthereis Columnam.

Ad Berardinum Rotam.

ODE V.

AD noſtrum rediens polum
Brumam ſol aliò diſpulit horridam,

Imbresq; , & gelidas niues:
Spirare incipiunt iamq; Fauonij
Molles leniter aurulæ.
Iam nunc & varijs (aſpice) florida
Rident prata coloribus;
Ac pictæ volucres gutture liquido
Cantant, & pecudes feræ
Saltus per virides ludere geſtiunt.
Regnat nunc Amor, & Venus,
Cunctorumq; animis dulce ſerunt malum
Nos heu nos tamen ó Rota
Soli conquerimur, tu modò ſcilicet
Ereptæ miſer àb miſer
Defles interitum coniugis optimæ:
Qua nec pulchrior altera
Vixit, nec Superis cara Deis mage.
Aſt ipſe aſſiduis queam
Si forſan lacrymis pectora Siluiæ
Emollire adamantina,
Noctes (me miſerum) conqueror & dies
Spem laſciua facit Venus,
Atq; Amor: puer eſt hic leuis, illaq;
Ex quo ſenſit Adonidis
Ignes, dextra fauet ſemper amantibus.
Olim fors mihi lacrymæ
Immitem poterunt flectere Siluiam.
Atq; ó ſic vtinam tui

Poſſent & gemitus & querimonia
Caram reddere Porciam.
Nunc verò, nitidum cùm nouus exerit
Titan Oceano caput,
Et cùm ſe gremio Doridis occulit,
Fruſtrà perditus ingemis;
Accuſasq; Deos pectine lugubri
Doctam ſollicitans chelym
Nequicquam. neq; enim flectier ô Rota
Diuûm fata, vel amplius
Mutari potis eſt dura neceſſitas.
Atq; illa æthereas ſuper
Iam ſublata domos factáq; dictáq;
Noſtra deſpicit, aurea
Veſcens ambroſia, & nectare cælitum.

Ad Antonium Laureũ Tabiarum Epiſcopum, de temporibus Pij IIII. Pont. max.

ODE VI.

NOBILEM *liqui patriam, meosq;:*
Nec fuit quicquam potius mihi, quàm
Vt Pium, cui fas aperire clauſi
Limina cæli,
Cernerem coràm, fruererq; tanti

Præſulis vultu, mihi pollicebar
Cuncta, virtuti ſupereſſe credens
Præmia Romæ.
Vix tamen totum licuit per annum
Illius vultum ſemel intueri.
Multus inuaſit, rigidusq; ſeruat
Limina cuſtos.
Mitiùs dicunt vigilem draconem
Poma ſeruaſſe Heſperidum ſororum,
Iam nec Alcides penetrare poſſet
Eius in aulam.
Ergo age, & noſtras repetamus oras:
Martiam vidiſſe ſatis ſit vrbem.
Ipſe, cùm primùm calidi Leonis
Liquerit aſtrum
Auream Sol Erigonen reuiſens,
Puppe diſcedam properante vectus.
Grata me Siren vocat, antra poſcunt
Collis amati.

Ad Salmonium Macrinum Iuliodunenſem.

ODE VII.

MAcrine Vates optime, Thracius
Cui cedat Orpheus Calliope ſatus,

Venēre noſtras vſq; ad aures
Tot gemitus, lacrymaq́; triſtes:
Quas ipſe noctes ſcilicet ac dies
Dilectæ acerba morte Gelonidis
Proſtratus effundis miſelle
Ex oculis, penitoq́; corde.
Quamuis & omnes, Gallia quos habet,
Clari poëtæ, præcipuè & bonus
AVRATVS, vnus qui beatè
Pindaricas imitatur Odas,
Ad te eleganter plurima ſcripſerint:
Quibus dolores hoſce tuos modis
Sunt omnibus conati amicè
Saltem aliqua releuare parte:
Tamen deeſſe huic officio pio
Nec ipſe quiui; carminaq́; Italis
Homo Italus perſcribo ab oris,
Qualiacunq; ea ſint Macrine.
Vt inde noſcas omnibus in locis
Tuas Camœnas ingenuis viris
Placere, Gallorumq́; amari
Ingenia Auſonijs colonis.
At vnde ſumam principium mihi?
Priúsne dicam coniugis aureos
Mores, & inſignem pudorem?
An potius referam venuſtum
Corpus, magiſtræ compoſitum manu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Naturæ? an oris ver nitidum tuæ
Gelonidis, raramq; formam,
Qualis erat Cypriæ Diones?
Quæ cuncta nuper Mors nimium fera
Sic (heu dolorem) perdidit, vt nihil
Superſit, illam quod referre
Egregiam valeat Gelonim.
Hinc iure luges, & meritò quidem
Miſelle tali coniuge non dies,
Paucosúe menſes, àh ſed omnes
Perpetuò cariture in annos.
Compeſce luctus attamen ô bone
Macrine, & iſtas abijce lacrymas:
Nam firmiter claro putandum eſt
Nunc radiare polò Gelonim.
Quandò & ſupremus mundi opifex Deus
Aeterna iuſtis præmia diuidit,
Ipſis & illuſtres Olympi
Poſt obitum dat habere ſedes.
Et illa vixit puriter, ætheri
Cara atq; terris, illecebras leues
Contempſit, & quæcunq; noſtros,
Ne reuolent, animos morantur.
Se matre dignos, teq; parente tot
Fœcunda natos progenuit tibi
Virtute præclaros, vt ipſe
Audio, & ingenuas puellas.

Certauit ergo legitimè ſatis
Hac in palæſtra .. quid meritam diù
Iniquus illius coronam
Nunc capiti inuideas maritus?

Ad Nereidas.

ODE VIII.

NEreides, quibus eſt o͠is perſpecta facultas
Fluctiuagi Oceani,
Dicite ſi liquor eſt vllus, qui poſſit amorem
Eluere ex animo.
Nam quia ꝑ terrã tot paſſim cernimus amnes
Perpetuò fluere,
Corpora qui variè mutant, atq; inſuper ipſos
Afficiunt animos:
Credibile eſt aliquas reperiri fluminis vndas,
Queis abigatur Amor.
An potius verò nullis ferus ardor amantum
Fluctibus eluitur?
Sæpe etenim gelidis arſit Neptunus in vndis,
Oceanusq; ſenex.
Vos etiam (ſic fama refert) ſenſiſtis Amoris
Spicula Nereides,
Cùm captæ Solis forma, & dulcedine cantus
Illius attonitæ,
Vnà omnes magno cœpiſtis amore calere
Fluctibus in medijs.

At vobis nimiũ felix Amor, almaq́; ſemper
Cypris amica fuit.
Nam vos vt contrà vidit Latöus Apollo,
Cœpit amore mori.
Hinc toties illum ſecreta vocaſtis ad antra,
In mediumq́; mare.
Hinc toties tenuit cupidis vos ille lacertis
Arctius atq; ſolent
Aut quercus hederæ, aut vites amplectier ul-
Cetera quid referam? (mos.
Vt ſecum toto iungentes corpora ponto
Reddiderit grauidas,
Ac veſtra implerit non vno viſcera partu
Sol decus æthereum.
Nunc etiã, poſtq́; totũ illuſtrauit Olympum
Ipſe ſuis radijs,
Frænorumq́; celer vinclis exoluitur Aethon,
Purpureusq́; Phlegon,
Vos petere, ac veſtris fertur laſciuus in ulnis
Ludere Nereides.

Ad Franciſcum Antonium Villanum à ſupremis conſilijs Philippi Regis.

ODE VIIII.

Villane noſtri maxima temporis

Lux atq; ſplendor, quem patriæ patrem
Fuiſſe ſemper, vindicemq́;
Iuſtitiæ liquidò videmus.
Qui nos beatos legibus optimis
Omnes gubernas; nec melius Solon
Athenienſes rexit olim,
Vel Lacedæmonios Lycurgus.
Pugnata Diuo prælia Carolo,
Qui præferendus Cæſaribus mihi
Cunctis videtur iure, quotquot
Præteritis fuerint in annis:
Eiusq́; laudes innumerabiles
Me poſſe quondam dicere iam diù
Speraui. at omnes ecce ſecum
Spes Zephyri rapuêre inanes.
Cùm Parca nobis impia ademerit
Aetatis huius qui fuerat decus,
Apollini Cantelmum amicum,
Atq; adeò mihi liberalem.
Qui grata nobis ocia ſcilicet
Feciſſet vnus, nì violentior
Vis mortis illum tam repentè
In nemus Elyſium tuliſſet.
Cantelme Princeps inclyte, maximè,
Quis te Deorum præripuit mihi?
Cunctasq́; (prô non iuſta fata)
Spes mihi diſſecuit miſello?

Te iure noctes perditus ac dies
Lugere cogor, non aliter ſolet
Quàm filium mater, ſenectæ
Quem baculum fore cogitabat.

Ad Muſas de Lucretia Summa, ex nobilitate Neap. fœmina lectiſſima.

ODE IX.

ADeſte pulchra Mnemosyne ſatæ
Pulchræ ſorores, ſeu colitis iuga
Nunc alta Pindi, ſeu lauatis
Membra ſacris Heliconis vndis:
Adeſte quæſo vos mihi dexteræ,
Plectroq; eburno & dulciſona chely
Lucretiam ſummam feramus
Per radiantia templa Olympi.
Vt nomen eius, gloriaq; inclyta
Exaudiantur gentibus vltimis.
Hæc viſa quæ nobis canatur
Præ reliquis magis eſſe digna.
Nam ſiue ſpectem purpurei decus
Oris ſupremum, quale ferunt Deæ
Quondam Cytheres extitiſſe:
Seu potius videam ſagacis

Miras tot artes ingenij, quibus
Hanc Pallas orta è vertice maximi
Iouis, regentis cuncta nutu,
A' tenera erudijt puella;
Palmam ferendam iure Lucretiæ
Dem fœminarum protinus omnium,
Ipſamq; vix vnis minorem
Cælicolis faciam Deabus.
Parum hoc Camœnæ; dicite dicite
Nunc quanta in huius Suada labellulis,
Mulcere qua poſſit Leones,
Et rapidas retinere tigres.
Sit ipſa teſtis Parthenope mihi,
Sit ipſe teſtis Præſes, Iberiæ
Lux, atq; noſtri clara ſecli
Gloria, magnanimus Ribera:
Hanc qui loquentem non aliter ſolet
Audire, quàm ſi Diua foret polo
Delapſa, quæ Reges ſuperbos,
Atq; humiles recreare gentes,
Lepôre linguæ mellifluo queat.
Taliq; nata non dubitat ſenex
Illuſtris omnes inter vrbes
Dicere Parthenopen beatam.

Ad Gabrielem Zerbum Iureconſultum.

ODE XI.

PARVM ſonanti non ego te lyra
Hac Zerbe Phœbi gloria concinam;
Sed conſecrabo æternitati
Olim ego te grauiore plectro.
Nanq; iſta virtus maxima, qua mihi
Deos ad ipſos æthereos propè
Videris acceſſiſſe, non eſt
Tam tenui minuenda Muſa.
Dicamq; Pauli facta Manutij
Præclara: laudem qui patris optimi
Primis ab annis æmulatus,
Barbariem Latio fugauit.
At iſta quondam. nunc fera mollibus
Mulcenda dictis pectora Siluiæ:
Quæ crinibus flauis mihi me
Surripuit, nitidisq; ocellis.

Ad Paulum Stampoſchum Regis Poloniæ à ſecretis.

ODE XII.

QVid ſentiam Stampoſche de ſcriptis tuis
Vis liberè dicam tibi?
Scripsêre plura noſtro in æuo candidè,
Et eleganter plurimi.
At inter omnes (audiat Momus licet)
Primum tenebis tu locum;
Si perpolitos pumice illos aureos,
Digniſſimosq; Cedria,
Ad ciuitatum commoda emittes libros:
Quos ipſe de Republica
Deis, Deabusq; omnibus fauentibus
Sermone ſcribis ſplendido,
Ac tam venuſto; vt ipſa Siren Attica
Vix eloquatur dulcius.
Qua re timore abiecto vt in lucem velis
Proferre adhortor te magis
Nam Regibus legentur, atq; maximam
Tibi parabunt gloriam.
Si mentior Stamposche me Diuûm pater
Petat rubente fulmine.

Ad Pium IIII. Pont. max. Fons Beluedere.

ODE XIII.

SI tuos vnquàm venies in hortos,
Queis ab aſpectu poſuere amœno
Nomen, ac me turbidiore lympha
Videris ire,
Nec ſatis gratum, liquidumq; murmur
Edere, vt quondam placidus ſolebam,
Forſitan noſtri cupies doloris
Diſcere cauſſam.
Sedibus longè patrijs profectus
Propter has vndas iuuenis canebat,
Qui Linum blando ſuperaret ore,
Quiq; leones
Flecteret cantu, rabidasq; tigres:
Cumq; pulſaret citharam, furentes
Sæpius vidi poſuiſſe ventos,
Lætitiaq;
Et feras geſtire, & aues, comasq;
Arborum. nunc (heu fera fata) quandò
Hinc bonas omnes videt exulare
Turpiter artes:
Nec ſibi reddi meritos honores,
Apparat ſecum procul eſſe Roma.

Senſi ego illius gemitus ab imo
Pectore ductos:
Diceret cùm ſe Tyberi relicto
Velle Sebethi properare ad amnem,
Ad ſuam ſe Parthenopen vocari,
Pauſilypumq;.
Meq; non tantum dolor hic, ſed omnes:
Quas ego his gratis foueo ſub vndis,
Compulit Nymphas varijs rigare
Fletibus ora.
Quare age ô noſtrum columen, Deûmq;
Maxime interpres, hominumq; cuſtos,
Cui datur clauſum reſerare limen
Aetheris alti;
Vlla ſi cari tibi cura fontis,
Atq; Nympharum ſupereſt tuarum,
Ne meis illum patiare ab vndis
Longius ire.

Ad Siluiam Puellam.

ODE XIIII.

PVELLA *melle dulcior,*
Hædoq; delicatior,
Si lacteas papillulas
Paulum remoto linteo

Spectare concedas mihi,
Felix ero, & ditiſſimus.
Si mi labella ſugere
Dabis, tuamq; lingulam,
Næ rex, & immortalium
Ero vnus ipſe cælitum.
Quid ſi tenere te meis
Poßem puella brachÿs?
Et mollicellas tangere
Coxas, femurq; turgidum?
Eſſem beatus, & ſuprà
Reges, Deosq; cælites.

Ad Federicum Viualdum Iureconſultum.

ODE XV.

Vualde noſtræ lux patriæ, impius
Næ ſim profectò, indignus & ætheris
Qui hanc attraham vitalis auram;
Si tacitum modò te relinquam.
Cùm laudis auctor tu fueris mihi,
Quamcunq; Diuûm munere, funera
Poſt nigra apud gentes futuras
Conſequar Auſonÿs in oris:

Meq; ipſe, dulcis non ſecus ac tibi
Germanus eſſem frater, amaueris;
Measq; res ſic tute cunctas
Geſſeris, vt propriæ fuiſſent.
Noſtras Camœnas quinetiam tuo
Exacto & acri iudicio diu,
Multumq; perpendiſti, vt ire
In medium ſine labe poſſent.
Quis iſta durus non amet? ô Deæ,
Quibus ſupremo eſt ab Ioue gloriæ
Sacrare magnorum virorum
Facta datum innumeros per annos,
Ad vsq; ſedes tollite lucidi
Viualdum Olympi, & reddite carmine
Nymphæ perennem veſtro, alumnum
Aonis, atq; Heliconis alti.

Ad Vincentium Carlutium Maxum.

ODE XVI.

NOſtris hoc etiam defuerat malis,
Vt tu cara ſoror denique pallidas
Ires ſub tenebras irreuocabilis
Prærepta inuidia Deûm.
Nec quicquam egregij profuit indoles
Oris, nec ſpecies, raráue gratia,

Nec mores lepidi, plena nec aureo
Dulcis lingula nectare.
Quæ mors cuncta ferox abſtulit, abſtulit.
Et ſunt qui miſerum flere tamen vetant
Carluti, quaſi non eſſet Olympias
Iam prærepta ſoror mihi
Vitæ delicium, atq; vnica lux meæ:
Quacum tota ſimul funditus occidit
Noſtra afflicta domus; qua mihi mortua
Nil iucundum erit amplius.
O quis nunc dederit luminibus meis
Aeternas lacrymas, vt tua funera
Condignè valeam dulcis Olympias
Noctes ingemere ac dies.
En qua me voluit ſorte crearier
In terris Superûm maximus arbiter,
Vt nulla adueniat lux mihi candido
Apponenda lapillulo:
Atq; aduerſa cadant omnia prô dolor.
Me ſors ipsa nimis compulit aſpera
Tot triſtes oculis fundere lacrymas
Infauſtis in amoribus:
Ac durum dominæ ſeruitium pati:
Quos caros habui, quosq; ego feceram
Multis officijs iam memores mei,
Fecit cernere mortuos.
Atqui non ego de Dijs malè ſentio,

Nullius ſceleris ſum mihi conſcius.
Neſcimus miſeri ludibrio, & ioco
Fortunæ ſumus improbæ.

Ad Marium Altimarum, & Claudium Sarnum Iureconſultos.

ODE XVII.

IAm rapidis inuectus equis formoſus Apollo
Tindaridis geminos
Fratres poſt tergum liquit, Cancriq; minacis
Brachia curua premit.
Terra hiat, areſcunt herbæ, Sebethides vndæ
Nunc quoque deficiunt.
Stat mihi Sirenum dulces inuiſere colles,
Nereidumq; domos:
Ac vitare ſimul cæli, atq; Cupidinis æſtus,
Siluiolamq; trucem.
Ergo ego tot caros potero nũc linquere amicos?
Teq; adeò Altimare,
Qui ſanctos noſtra corrupta ætate Catones,
Ac veteres Curios
Inſigni virtute refers, & pectoris alti
Dotibus exſuperas?

Teq; mihi Claudi dulciſſime, quē bona Pallas
A puero inſtituit;
Ipſa & Acidalio lauit Venus aurea fonte?
At licet ipſe abeam,
Vobiſcum tñ eſt animus meus, illaq; ſemper
Mens erit Arcucio:
Qua mihi propoſui diæ Virtutis alumnos
Perpetuò colere,
Si vel ad extremos abeam Garamantas, & (Indos;
Horribilesq; Scythas.

Ad Lauiniam, & Camillam Correales.
ODE XVIII.

QVæ polo lapſæ geminæ ſorores
Aureum nobis reuocatis æuum;
Vos mea pergam celebrare Muſa,
Quantulacunq; eſt.
Namq; vos rectum teneris ab annis
Ire cœpiſtis per iter, bonaſq;
Regium cor, atq; animum per artes
Excoluiſtis:
Vos viris iunctæ inuiolata ſancti
Iura ſeruaſtis tori, in omne tempus
Integræ, caſtæ, ac veluti decebat
Officioſæ.

Et modò heu caris viduæ maritis
Eſtis exemplum probitatis, in quod
Debeant cunctæ aſpicere, atq; habere
Lumina ſemper.

In obitu Lucretiæ Catoniæ, matris dulciſſimæ.

ODE XIX.

Flete Pierides Deæ
Alma progenies Iouis,
Nam mihi modò carior
Rebus omnibus vna,
Vna præſidium meæ,
Ac decus miſeræ domus
Mater occidit, impiæ
Mortis icta ſecuri.
Nec videre miſellula
Solis hoc iubar aureum
Amplius potis eſt, nigra
Iam ſepulta ſub vrna.
Quin bonæ potius Deæ
Eſſe vos hilares decet,
Nunc decet modularier
Læta carmina mecum.

Namq; libera corporis
Nexibus, fuerat quibus
Impedita, agit arduo
Nunc in æthere mater.
Sol vbi rutilantior
Alter emicat, ille Sol:
Vnde profluit omnibus
Lux & vita creatis.

Ad Venerem.

ODE XX.

SI *Fortuna foret mihi*
Qualis nuper erat candida, nec retrò
Vertiſſet celerem rotam;
Si ſpiraret adhuc dulcis Olympias;
Si non & miſero occidens
Liquiſſet lacrymas perpetuò parens;
Audires iterum tuas
Laudes ô Erycen, quæq; Gnidon Dea,
Sanctumq; Idalium colis.
Nec formoſa minus Silvia nunc ſuas
Laudari nitidas comas,
Lucentesq; oculos, & roſeas genas,
Atq; oris decus audiens,
Altis inſereret ſideribus caput.

Sed me non decet amplius
Proiectum viridi membra ſub arbore
Blandam concinere ad lyram
Iucunda, & vacuis appoſita auribus.
I nunc, atq; alium tibi
Quæras alma Venus, qui reſonantibus
Te, laudesq; tuas canat
Inſigni cithara, & pectine eburneo.
Atq; illa impia, mollibus
Quæ flecti lacrymis neſcit amantium,
Surda ſæuior aſpide,
Poſthac quem miſeris excruciet modis
Conſtanti iuuenem fide
Hinc quæſitũ abeat quò lubet, haud moror.
Occultis ſatis, ac diu
Iſtæc corda ſuis torruit ignibus.

Ad Pinum arborem, quæ eſt apud ſororis tumulum.

ODE XXI.

Pine, cui grato foliorum odore
Inuidet Phœbo arbor amica, ſic te
Cùm feri certant Boreæ ima ab vsq; a-
uellere ſtirpe,
Hæreas tanto mage firma terra,

Hæreas, omneſq; minas, & omnes
Flantium vires animarum acuto
Vertice temnas?
Quam mihi fratri hei miſero ſororem
Abſtulit Mors impia, tu ſub vmbra
Hanc tua ſemper tibi habe, atq; opacis
Protege ramis.
Protege ô dilecta mihi, & priores
Si tibi ſenſus ſuperant, amato:
Namq; tu quondam puer, & Cybelles
Cura fuiſti.
Ah parens Diuûm veneranda, quali
Te diù torſit puer hic amore;
Ah tuæ quantùm caluere ſæuo
Igne medullæ;
Cùm tuum cor ah miſera, atq; ocellum
Vnicum vitæ nemora inter alta
Quæreres Atyn puerum, nec vſquàm
Cernere poſſes.
Nam malo mentem furiatus oeſtro,
Præmia & dulcis Veneris peroſus,
Amputat ſaxo ſibi membra dum vi-
rilia acuto,
Ceu tener flos, quem digitis puella
Meſſuit, ſic conciderat miſellus
Atys, ac circùm maculârat atro
Sanguine terram.

Iamq; Rex Diuûm omnipotens in altam
Verterat pinum, Dea ne Cybelle
Mortuum ſpectans nimio periret
Victa dolore.

In funere Hieronymi Seripandi Cardinalis, Pij IIII. Pont. max. nomine legati, Tridenti demortui.

ODE XXII.

TV nunc Olympi iam nouus incola
Magno Deorum concilio interes,
Vbi omne conceſſum per æuum
Poſſe frui meliore vita.
At nos amici, nos miſeri, quibus
Hæc ipſa iam lux eſt ſine te grauis;
Dolore tabentes inani
Aſſiduè Seripande flemus.
Sortemq; nobis dicimus inuidam,
Nimisq; duram. namq; quid amplius
Boni te ad empto, quidue pulchri
Italiæ miseræ relictum eſt?
Omitto Virtutem, & ſapientiam,
Moresq;, & alti pectoris inclytas
Artes: omitto flumen aureum

Oris & eloquium beati.
Tu prima ſacri lux fueras chori,
Magnumq́; Petri nunc maris impetu
Periclitanti, totq́; ſæuis
Exitium Boreæ minantis
Acta procellis præſidium rati.
Quam nì rediſſes tam citò ad æthera,
In portum, & optatas arenas
Ilicet è medijs tuliſſes
Inſanientis fluctibus æquoris.
Occulta ſed quis promere nàm queat
Decreta ſupremi Tonantis?
Aut acie penetrare mentis?
Fòrs ille tali præcipuè ad domos
Cæli beatas tempore tranſtulit,
Vt clariùs noſcatur, omnis
Quantum opera tua egebat Orbis:
Simulq́; vt altè ſemper inhæream
Infixa noſtris geſta animis tua;
Atq; ipſe maior, digniorq́;
Poſt obitum Seripande viuas.

IOANNIS BAPTISTAE
ARCVCII NEAPOLITANI
ODARVM LIBER II.

AD IANVM
ODE I.

ANni principium noui
O fœlix redeas
Iane precor mihi,
Hîc vt ſcilicet om-
nibus
Aerumnis liceat fi-
gere terminum.
Iam multum miſer
ac diù
Fortunæ varijs flu-
ctibus impetor,
Nec portum video tamen.
O tandem Superi parcite, ſi ſatis
Pœnarum ac ſuper eſt datum.
Quæ porrò fuerit gloria perſequi
Arentem ſtipulam, leui
Quæ quouis rapitur flaminis impetu.
Sed quamuis miſer obruar
Tot tantiſq; malis: inſuper optimæ

Matris funera viderim,
Quæ ſecum moriens funditus omnia
Vitæ conſilia abſtulit,
Vt prorſus quid agam nunc mihi neſciam:
Forti pectore perferam
Iſtæc cuncta tamen, molliaq; arduum
Tollens lumina ad æthera,
Si forſan valeam ſollicita prece
Iram frangere cælitum
Adnitar; neq; enim perpetuò decet
Succenſere homini Deos,
Atq; ipſum cineres perſequi ad vltimos.
Sed prudens veluti pater
Dulces filiolos, quos amat vnicè,
Verbis increpat aſperis,
Ac flagris etiam cædit, vt omnibus
Depulſis vitijs ſuos
Informent animos artibus optimis:
Sic & cælicolæ licet
Affligant aliquo tempore quos amant,
Nunquàm perpetuò premunt.
Quin larga potius plurima dextera
Illis munera conferunt,
Vt vitæ reliquum quod fuerit ſuper
Totum poſtmodò tranſigant
Inter delicias, & noua gaudia.

AD IVLIVM ANTONIVM Sanctorium, Sanctæ Seuerinæ Archiepiſcopum.

ODE II.

GRATA Sanctori venerande fama,
Quæ modò huc illuc volitat per vrbem,
Omnium lætas potuit bonorum,
Reddere mentes.
Te Pij nunc Quinti opera, ſupremi
Inter illuſtres Proceres Senatus:
Sacra quos veſtit, decoratq; multo
Purpura honore,
Eſſe delectum, velut exigebant
Inclytæ, ac totum celebres per Orbem
Tot tui dotes animi, tot alti
Pectoris artes.
Me vel in primis ea fama lætum
Reddidit, noſtro videam quòd æuo
Optimis hoc Pontifice imperante
Legibus Orbi,
Aureum terris rediſſe ſeclum,
Ac bonis reddi meritos honores,
Iamq; Virtuti ſua nunc adeſſe
Præmia Romæ.

O diem verè nitidum, ſacrumq́;!
Et mihi ſemper niueo lapillo
Iure ſignandum! quid ego hic morari
Amplius optem?
Magne Sanctori licet vrat ardens
Sirius terras, metuantq́; cuncti
Nunc ſibi externas properare iniquo
Tempore ad oras:
Me tamen nullum poterit periclum,
Aut metus caræ cohibere vitæ,
Quin amœni Pauſilypi beato
Colle relicto,
Romuli ſedes adeam Gradiuo
Patre prognati, tibi vt ipſe coràm
Gratuler, figamq́; tuis vtriſq;
Oſcula palmis.

AD PIVM V. PONT. opt. max.

ODE III.

ECquando miſeris Tartaream luem
Deponent animis & rabiem feram?
Ecquando venient in gremium piæ
Matris Theutones impij?
Heu quòd cùm nitidum conderet æthera
Diuorum genitor (ni male ſentiunt

Priſci Thalmudici) noluit vndique
Cælum perficere extimum.
Verùm qua Boreas ſpirat, & ardua
Obſcuris Helice paſſibus incita
Fertur, conſpicuam cælicolis ea
Liquit parte voraginem.
Vt ſi fortè aliquo tempore quiſpiam
Surgens eſſe Deum ſe quoq; finxerit;
Olli continuò dicere maximus
Sic poſſit Superûm parens.
Si verè Deus es, totq; micantia
Nullis ſeminibus ſidera feceris,
Oſtendas age nunc ſi potes, & mihi
Tantam claude voraginem.
Atq; hinc ſæpe ſacro numine conciti
Vates omne canunt ex Aquilonia
Pandi ſede malum; ac poſtmodò latiùs
Diffundi in reliquas plagas.
Hæ certè fuerant cælicolûm minæ.
Nam quis non videt vt pallida Tartaro,
Deq; imis Erebi ſedibus extulit
Fœdum Tiſiphone caput?
Flammasq; in manibus geſtat, & Arctico
Sub cælo poſitas gaudet adurere
Vrbes, atq; hominum pectora concitat?
Illic numina cælitum
Cunctis ludibrio ſunt; pudor occidit

Iampridem atq; fides, canaq; veritas.
Illic aſſiduò (prô dolor) efferæ
Debacchantur Erynnies.
Et nunc has etiam pars bona Galliæ
Concæpit Furias: vix breuis angulus
Terrarum ſupereſt. non aliàs mage
Petri pertimuit ratis.
Et ni iam placidi numinis aurulæ
Spirare incipiant; tot maris impetus,
Ventorumq; minas vndiq; flantium
Haud ferre incolumis queat.
At tu pone metum magne hominum parens,
Clauumq; intrepida dirige dextera
In portum. tibi nunc & Deus, & cohors
Omnis fauerit ætheris.

In funere Hippolytes Gonſagæ.

ODE IIII.

TE vera noſtri gloria ſeculi
Prognata claro ſanguine Principum,
Quam flore ſub primo iuuentæ
Sæua Deûm rapuere fata;
Cantare pergam, nec patiar tuum
Perire nomen; Pierides modò
Adſint vocatæ, almusq; Apollo
Ipſe mihi faueat canenti.

Te namq; dicam corporis aurea
Forma, & beati dotibus ingeni
Viciſſe cunctas, quaq; noſtro
Egregiæ fuerint puellæ,
Et quæ priori tempore vixerint
Venuſtiores. nam tibi Gratiæ
Pulchris ſedebant in labellis,
In nitidis oculis Cupido.
Quoquò ferebas candidulum pedem,
Pingebat illic Flora nitens humum,
Tuoq; maieſtas, decenſq;
Semper erat grauitas in ore.
Te Phœbus auctor carminis & lyræ
Ad alta Pindi culmina duxerat:
Tuos & ornârant virenti
Aonides hedera capillos.
Quæ derelictæ nunc ſine te gemunt.
Et dura dicunt ſidera, nec modum
Ponunt dolori, ſed ſedentes
Ad tumulum miſeræ queruntur.
Spargunt & vrnæ puniceas roſas,
Omneſq; laudes Hippolyte tuas,
Claroſq; natales ad alta
Aſtra ferunt reſonante plectro.

Ad Io. Franciſcum Brancaleonem.

ODE V.

SI cunctas adeam terras, quas cærula magno
Complectitur ſinu Thetis;
Præclaris vix inueniam tot dotibus vnum,
Aut alterum parem tibi.
Omnia tu ſolus noſti, tibi cederet ipſe,
Si viueret Diuus Plato.
Neſcio adulari; nec ſi ſcirem, optime tecum
Abuterer Brancaleo.
Sed verum cur aut ſileam? meritáue ſodalem
Nunc laude defraudem meum?
Ergo age ſume tibi citharā pulcherrima Clio,
Cantare pauca & huic velis.
Vt cum Barbarie prima vel ab uſq; iuuenta
Sic dimicarit ſtrenuè,
Vt dare compulerit terga, atq; inſigne trophēū
Ioui Latino affixerit.
Vt Sophiæ mòx florentes ingreſſus in hortos,
Doctas per artes iuerit;
Formaritq; ſibi vitam cæleſtibus illis,
Sanctiſſimiſq; moribus.
Vt medicis animū ſtudijs adiunxerit acrem,
Prodeſſe dum cunctis parat.
Ac multas animas (velut olim Aſclepius) atri

Seruarit Orci ex faucibus:
Quin etiam libros conſcripſerit, armaq; nobis
Aduerſus ægritudines
Non aliàs viſa attulerit, terrasq; per omnes
Salubritatem ſeuerit.
Macte animi virtute ſenex, tua tot benefacta
Nullo peribunt tempore.
Clarus eris, donec nitida ſol lampade fulgens
Luſtrauerit cæli domos.

Ad Antonium Carrafam.

ODE VI.

IAnus en nobis venientis anni
Omine illuxit pater auſpicato;
Nullæ eunt cælo nebulæ, ſilentq;
Aequora ponti.
Omnia exultant hodie, nec ipſa
Terra non gaudet, nitidosq; flores
(Gaudij ſignum) medio rigentis
Frigore Brumæ
E ſinu profert, aperitq; largo.
En roſa; an non hæc roſa? quæ colore
Purpuram viuo, ſuperatq; ſuaui
Balſama odore?
Ipſa ea eſt; carpe hanc puer, & videto
Ne manu lædas, ſiquidem ferenda eſt

Ad decus noſtrum, dominumq́; , & huius
Vrbis ocellum.
Quem bonæ Muſæ, Charitesq́; blandæ
Diligunt vita mage, cui canoram
Dat lyram Phœbus, viridiq́; cingit
Tempora lauro.
Qui domum per ſe varijs ſuorum
Inclytam geſtis, celebremq́; auorum
Lumine illuſtrat proprio, nouisq́;
Laudibus ornat.
Et ferens dic illi, animam fatetur
Se tibi debere herus, atq́; vitam,
Patriæ per te reuocatus exſul
Vrbis ad oras.
Vellet hoc ipſum tamen ipſe claris
Splendide Antoni indicijs probare,
Signaq́; optaret manifeſta tanti
Mittere amoris.
Quòd nequit fert ægro animo, doletq́;.
Hanc roſam, cùm ſe nitidos per hortos
Ferret, aſpexit, ſubitoq́; iuſſit
Ducier ad te.
Tu tuæ per fulgidulos Neæræ
Neſcio an ſoles, vocitémne ocellos,
Per capillos aureolos, & illa
Pulchra labella,
In bonam partem accipias, nec anni

Primulos aura genitos Fauoni,
Symbolum magni ipſius in te amoris
Deſpice flores.

Ad Vincentium Carlutium Maxum.

ODE VII.

TEN' quæſo dices Superis cæleſtibus eſſe
Inuiſum? miſerumq; vocabis
Carluti melior noſtri pars altera cordis,
Ac rerum tutela mearum?
Ten' miſerũ? larga dederint cui numina dextra
Quicquid fas hominem ſit habere,
Grandes diuitias, genus & non vile parentũ,
Et ſpeciem, robuſtaq; membra.
Præterea vxorem, qualem terraq; mariſq;
Caſibus innumeris agitatus
Inuẽnit Troiæ, Priamiq; euerſor Vlyſſes:
Quæ te non aliter colit vnum,
Quàm Collatinum Lucretia, Porcia Brutum:
Quæ pueros, itidemq; puellas
Inſignes forma peperit, dulciſſima veſtri
Pignora connubialis amoris.
Adde tot egregias artes, quibus ipſe ſagacem
Excoluiſti animum: puer olim
Dum cupis excelſos Heliconis ſcandere mõtes,

Et Muſas audire canentes.
O te felicem potius, vereq; beatum
Aſſiduè poſthàc fatearis,
Tantaq; Carluti ne ſpernas inclyta dona,
Ne Dis ingratus videare,
Ac tibi concilies illorum forſitan iram.
Sed ſi durum aliquid tibi quondam
Accidat (vt Sors eſt hominũ) fer pectore forti;
Teq; virum oſtendas; animumq;,
Quem nulla inuitum vis cogere poſſit, habere:
Fataq; contemnas inimica.

Poſt liberatam Melitam à graui Turcarum obſidione.

ODE VIII.

IAm tandem Melite modò terra obſeſſa, ma-
Euaſit iram cælitum. *(riq;*
Diffugêre metu Turcæ dare terga coacti;
Noſtris & armis cedere.
Ergo age nunc feſta præcincti tempora fronde
Diuis agamus gratias:
Dî res Italiæ nomenq;, decusq; tuentur,
Viresq; frangunt hoſtium.
Quis cùm tot Melitam circumſediſſe carinas,
Tot Barbarorum copias,
Quas vsq; ab Scythicis Solimanus miſerat o-
(ris;

Cumq; & Draguttum cerneret
Omnia conari, ac fabricatis pontibus altâ
Conſcendere arcis culmina;
Non deſperaſſet penitus, actumq; putaſſet
De rebus vrbis illius?
Cùm tam felici ſpiraret proſpera flatu
Fortuna ſæuis hoſtibus,
Iamq; expugnaſſent Hermum victricibus ar-
Tumidiq; ſucceſſu forent; (mis,
Numina cœperunt ad nos conuertere vultum,
Rebusq; adeſſe perditis.
Ergo omnes ſubito perculſos corda timore
Fugiſſe Turcas vidimus,
Certatimq; cauas petere, atq; aſcẽdere naues,
Ventisq; vela ſoluere:
Milliaq; illorum tam multa occiſa profundi
Domos replerunt Tartari;
Vt ſontes animas Stygiũ dum trãsuehit amnẽ,
Sit nauta iam feſſus Charon.
Tunc etiam duro percuſſus tempora ſaxo
Ferus Draguttus occidit:
Qui contra nos (dum vixit) terraq; mariq;
Cruenta geſſit prælia.
Nunc illos age dicamus pulcherrima proles
Thalia maximi Iouis,
Ac noſtro celebres reddamus carmine, qui ſe
Geſſere in armis ſtrenuos.

Inter quos Equitū magnus Valletta magiſter,
Sacriq; Princeps Ordinis
Non ſecus atq; inter micat aurea ſidera Phœ-
Fortisq; , & optimus ſenex : (bus,
Cuius conſilio Melite ſtat, & Itala tellus
Omnes timores exuit.
Garſiam quoque, Sicanis qui præſidet oris,
Feramus vsq; ad æthera.
Solus nam longa Melitam obſidione leuauit,
Scythasq; duros contudit:
Cùm lectos illuc iuuenes fortiſſima corda
Aduexit altis nauibus.
Illius hinc meritò volat inclyta fama per Orbē
Ad vltimam vel Indiam.
Vos quoq; felices nimium, nimiumq; beati
Manes virorum fortium,
Felices manes, veſtro qui ſanguine nobis
Tot attuliſtis gaudia.
Vos eritis clari ſemper, dum lucida certis
Voluentur aſtra legibus.
Nulla dies veſtra abſcondet clariſſima facta,
Viuet perennis gloria.
Non poterat mors optari felicior vlla,
Nec inueniri pulchrior,
Quàm ſi quis medio cecidiſſet turbine belli
Aduerſus hoſteis dimicans.
Vobis ſe nunc relligio debere fatetur,

Fociq; , & aræ cælitum:
Debet et in primis Melite,ac tota Auſonis ora
Seruata veſtro ſanguine.

Ad Ferrandum Gattulam.

ODE IX.

AVreus nondum rutilante curru
Attigit Phœbus geminos Laconas,
Excoquit terras tamen, aridasq;
Iam facit herbas.
O boni quæso, lepidiq; amici
Grata Sebethi properate ad antra:
Tuq; Ferrande ante alios citato
Huc pede adeſto.
Ducere & mecum libeat choreas
Hîc vbi nunquàm placidos ſilere
Audias ventos, vbi murmur vndæ
Leniter edunt.
Hîc vbi Nympha Andide, Mincioq;
Natus aruorum, pecudumq; cultum,
Mox ſono dixit grauiore duri
Prælia Martis.
Hîc vbi magnus Iouianus altì
Lucidos cæli modulatus ignes,
Sedit, ac lymphas docuit referre
Caram Ariadnam.

Hîc vbi laudes Superûm Deorum
Actius Sincerus, & alta ſacræ
Virginis dulci cecinit lyra my-
ſteria partus.
Inde piſcantum varios amores
Luſit agreſti calamo, Deasq́;
Egit vt ſpretô nemore, Aonisq́;
Montibus altis;
Luderent ſecum maris inter vndas:
Hîc vbi Rota Aonidum voluptas
Cypriæ cantat faculas, feriq́;
Spicula Amoris.
Hîc vbi ſanctas ego nunc Napæas,
Panas, & Faunos veneror bicornes:
Hic vbi fundo crocon, & Sabæa
Thura Maroni:
Cuius ex imis animam ſepulcris
Sedis inuito Stygiæ tyranno
Euoco, dum plena micat ſereno
Cynthia vultu.
Nam ter vt magni cineres pöetæ
Amne luſtraui, ceciniq́; carmen,
Quod nigri manes paueant, & ipſe
Horreat Orcus,
Ilicet tellus tremit, horridumq́;
Perſonat lauri nemus, & ſalictum:
Exit, atq; offert mihi ſe videndam
Vatis imago.

Ad Deos Superos.

ODE X.

SI veniunt alto veri mihi nuntia caſus
Somnia miſſa polo,
Defeßos cùm nocte leuis ſopor irrigat artus;
Dij facite vt potius,
Quàm videã noſtro confoſſum vulnere quem
Fundere dulcem animam, (quam
Ipſe obeam nunc præcipuè quòd candida nullo
Mens ſcelere inficitur.
Iſtud ne Superi conſtet mihi viuere tanti.
Nam ſcio poſt obitus
Quæ maneant animas hominũ tormenta malo
Quanta ſit ira Dei. (rum,
Principiò terram caligine mortis opacam
Impia turba colit,
Pædor vbi, ſtridorq; habitant, et pallor, et hor
Perpetuoq; gemunt; (ror;
Se ſeq; incuſant miseri, & crudelia dicunt
Numina cælicolûm.
Quos fera Tiſiphone geſtans pro crinibus an-
In manibusq; faces; (gues,
Atq; aliæ circùm dextra, læuaq; frequentes
Tartareæ Furiæ
Inſtimulãt, agitantq;, et ſæuo verbere, et ãtris
Ignibus excruciant.

Quàm cuperẽt nũc(heu miſeri)nõ eſſe,nec vn
Lucida ſigna poli *(quàm*
Aſpexiſſe, nec æthereas prodiſſe ſub auras.
Multo erit ijs aliter,
Qui benè vixerũt ope fulti,et munere Diuûm.
Vt pote quos genitor
Omnipotens ſibi iam primis delegit ab annis,
Cùm neq; mundus erat,
Nec ſol aſſiduo faceret ſua tempora motu;
AEtheris vt vacuas
Implerent ſine fine domos, æuumq́; beati
Cum Superis agerent.

In funere Bætini.

ODE XI.

TAndem ſenex cinædus impuriſſimus,
Qui maximam tyrannidem
Diù hac in vrbe geſſerat, quiq́; omnium
Bona ciuium expilauerat,
Vt filios ditaret, ac felicia
Rura emeret, agros, prædia,
AEdes & Hermi montis in radicibus
Sibi beatas conderet,
Hortosq́; citris conſitos fragrantibus,
Flueretq́; luxu Perſico,
Iram Deorum ſenſit immortalium;

Iacet repentè mortuus.
Cùm ſe cibis expleret, ecce fulminis
Afflatus igne concidit.
Coniux nec illi fœda quicquam profuit,
Non & cinædorum cohors.
Et nunc nigrantis Tartari inter horridas
Afflictus vmbras eiulat.
Crucietur illic ſemper, & quas improbus
Commeritus eſt pœnas luat.
Atq; ô beati quæſo faxint cælites,
Qui nobilem Neapolim
Nunquàm tueri deſinunt, vt cæteri
Omnes ità pereant mali.

Ad Ianum Peluſium Crotoniatam.
ODE XII.

P*ELVSI quoniam Deis*
Sic viſum Superis, vt genitrix mea
Vitam clauſerit vltimam;
Nec ſi me miſeris excruciem modis
Quicquam proficiam tamen,
Iccircon' Zephyris in mare Caſpium,
Atq; vltrà quoq; ſi libet,
Omnes dem gemitus & querimonias
Deferre & lacrymas ſimul?
Non mi tam rigidum eſt, tamq; adamantinū

Pectus, menſq; ita maſcula,
Vt tantis nihil ipſe indoleam malis,
Omnes Atropos impia
Vitæ delicias & iubar abſtulit:
Vt ſim ſtipes, & æreus,
Si non & querar, & tot mala ſentiam.
Nec quicquam Superûm tamen
Aduerſus facio numina, ſi mihi
Quæ quondam vbera præbuit,
In lucemq; dedit viuere nunc velim.
Et quandò id fieri nequit,
Extinctam hanc aliquo tempore lugeam,
Materna vt pietas iubet.
Te ſi quid ſocij dulcis amor tenet
Peluſi optime, lacrymas:
Quæ nunc ex oculis ſponte fluunt ſua,
Ne porrò impedias rogo.
Muſarum potius namq; cohors tibi
Vni præ reliquis fauet,
Illam de tumulo verſibus excita.

Ad Galeatium Florimontium Sueſſanorum Antiſtitem.

ODE XIII.

MOns floride, atq; amœne, mōs dulciſſime,
Cuius ſacratā veſtiunt cacumina

Lauri

Priſci Thalmudici) noluit vndique
Cælum perficere extimum.)
Verùm qua Boreas ſpirat, & ardua
Obſcuris Helice paſſibus incita
Fertur, conſpicuam cælicolis ea
Liquit parte voraginem.
Vt ſi fortè aliquo tempore quiſpiam
Surgens eſſe Deum ſe quoq; finxerit;
Olli continuò dicere maximus
Sic poſſit Superûm parens:
Si verè Deus es, totq; micantia
Nullis ſeminibus ſidera feceris,
Oſtendas age nunc ſi potes, & mihi
Tantam claude voraginem.
Atq; hinc ſæpe ſacro numine conciti
Vates omne canunt ex Aquilonia
Pandi ſede malum; ac poſtmodò latiùs
Diffundi in reliquas plagas.
Hæ certè fuerant cælicolûm minæ.
Nam quis non videt vt pallida Tartaro,
Deq; imis Erebi ſedibus extulit
Fœdum Tiſiphone caput?
Flammasq; in manibus geſtat, & Arctico
Sub cælo poſitas gaudet adurere
Vrbes, atq; hominum pectora concitat?
Illic numina cælitum
Cunctis ludibrio ſunt: pudor occidit

Iampridem atq; fides, canaq; veritas:
Illic aſſiduò (prô dolor) efferæ
Debacchantur Erynnies.
Et nunc has etiam pars bona Galliæ
Concœpit Furias: vix breuis angulus
Terrarum ſupereſt. non aliàs mage
Petri pertimuit ratis.
Et nì iam placidi numinis aurulæ
Spirare incipiant; tot maris impetus,
Ventorumq; minas vndiq; flantium
Haud ferre incolumis queat.
At tu pone metum magne hominum parens,
Clauumq; intrepida dirige dextera
In portum. tibi nunc & Deus, & cohors
Omnis fauerit ætheris.

In funere Hippolytes Gonſagæ.
ODE IIII.

TE vera noſtri gloria ſeculi
Prognata claro ſanguine Principum,
Quam flore ſub primo iuuentæ
Sæua Deûm rapuere fata;
Cantare pergam, nec patiar tuum
Perire nomen; Pierides modò
Adſint vocatæ, almusq; Apollo
Ipſe mihi faueat canenti.

Te namq; dicam corporis aurea
Forma, & beati dotibus ingeni
Viciſſe cunctas, quaq́; noſtro
Egregiæ fuerint puellæ,
Et quæ priori tempore vixerint
Venuſtiores. nam tibi Gratiæ
Pulchris ſedebant in labellis,
In nitidis oculis Cupido.
Quoquò ferebas candidulum pedem,
Pingebat illic Flora nitens humum,
Tuoq́; maieſtas, decenſq́;
Semper erat grauitas in ore.
Te Phœbus auctor carminis & lyræ
Ad alta Pindi culmina duxerat:
Tuos & ornârant virenti
Aonides hedera capillos.
Quæ derelictæ nunc ſine te gemunt.
Et dura dicunt ſidera, nec modum
Ponunt dolori, ſed ſedentes
Ad tumulum miſeræ queruntur.
Spargunt & vrnæ puniceas roſas,
Omneſq́; laudes Hippolyte tuas,
Claroſq́; natales ad alta
Aſtra ferunt resonante plectro.

Ad Io. Franciſcum Brancaleonem.

ODE V.

SI cunctas adeam terras, quas cærula magno
 Complectitur ſinu Thetis;
Præclaris vix inueniam tot dotibus vnum,
 Aut alterum parem tibi.
Omnia tu ſolus noſti, tibi cederet ipſe,
 Si viueret Diuus Plato.
Neſcio adulari; nec ſi ſcirem, optime tecum
 Abuterer Brancaleo.
Sed verum cur aut ſileam? meritáue ſodalem
 Nunc laude defraudem meum?
Ergo age ſume tibi citharā pulcherrima Clio,
 Cantare pauca & huic velis.
Vt cum Barbarie prima vel ab uſq; iuuenta
 Sic dimicarit ſtrenuè,
Vt dare compulerit terga, atq; inſigne tropheū
 Ioui Latino affixerit.
Vt Sophiæ mòx florentes ingreſſus in hortos,
 Doctas per artes iuerit;
Formaritq; ſibi vitam cæleſtibus illis,
 Sanctiſſimisq; moribus.
Vt medicis animū ſtudijs adiunxerit acrem,
 Prodeſſe dum cunctis parat.
Ac multas animas (velut olim Aſclepius) atri

Seruarit Orci ex faucibus.
Quin etiam libros conſcripſerit, armaq; nobis
Aduerſus ægritudines
Non aliàs viſa attulerit, terrasq; per omnes
Salubritatem ſeuerit.
Macte animi virtute ſenex, tua tot benefacta
Nullo peribunt tempore.
Clarus eris, donec nitida ſol lampade fulgens
Luſtrauerit cæli domos.

Ad Antonium Carraſam.

ODE VI.

I*Anus en nobis venientis anni*
Omine illuxit pater auſpicato;
Nullæ eunt cælo nebulæ, ſilentq;
Aequora ponti.
Omnia exultant hodie, nec ipſa
Terra non gaudet, nitidosq; flores
(Gaudij ſignum) medio rigentis
Frigore Brumæ
E ſinu profert, aperitq; largo.
En roſa; an non hæc roſa? quæ colore
Purpuram viuo, ſuperatq; ſuaui
Balſama odore?
Ipſa ea eſt; carpe hanc puer, & videto
Ne manu lædas, ſiquidem ferenda eſt

Ad decus noſtrum, dominumq́; , & huius
Vrbis ocellum.
Quem bonæ Muſæ, Charitesq́; blandæ
Diligunt vita mage, cui canoram
Dat lyram Phœbus, viridiq́; cingit
Tempora lauro.
Qui domum per ſe varijs ſuorum
Inclytam geſtis, celebremq́; auorum
Lumine illuſtrat proprio, nouisq́;
Laudibus ornat.
Et ferens dic illi, animam fatetur
Se tibi debere herus, atq; vitam,
Patriæ per te reuocatus exſul
Vrbis ad oras.
Vellet hoc ipſum tamen ipſe claris
Splendide Antoni indicijs probare,
Signaq́; optaret manifeſta tanti
Mittere amoris.
Quòd nequit fert ægro animo, doletq́;.
Hanc roſam, cùm ſe nitidos per hortos
Ferret, aſpexit, ſubitoq́; iuſſit
Ducier ad te.
Tu tuæ per fulgidulos Neæræ
Neſcio an ſcles, vocitémne ocellos,
Per capillos aureolos, & illa
Pulchra labella,
In bonam partem accipias, nec anni

Primulos aura genitos Fauoni,
Symbolum magni ipſius in te amoris
Deſpice flores.

Ad Vincentium Carlutium Maxum.

ODE VII.

TEN' quæſo dices Superis cæleſtibus eſſe
Inuiſum? miſerumq; vocabis
Carluti melior noſtri pars altera cordis,
Ac rerum tutela mearum?
Ten' miſerũ? larga dederint tui numina dextra
Quicquid fas hominem ſit habere,
Grandes diuitias, genus & non vile parentũ,
Et ſpeciem, robuſtaq; membra.
Præterea vxorem, qualem terraq; mariſq;
Caſibus innumeris agitatus
Inuenit Troiæ, Priamiq; euerſor Vlyſſes:
Quæ te non aliter colit vnum,
Quàm Collatinum Lucretia, Porcia Brutum:
Quæ pueros, itidemq; puellas
Inſignes forma peperit, dulciſſima veſtri
Pignora connubialis amoris.
Adde tot egregias artes, quibus ipſe ſagacem
Excoluiſti animum: puer olim
Dum cupis excelſos Heliconis ſcandere mõtes,

Et Muſas audire canentes.
O te felicem potius, vereq; beatum
Aſſiduè poſthàc fatearis,
Tantaq; Carluti ne ſpernas inclyta dona,
Ne Dis ingratus videare;
Ac tibi concilies illorum forſitan iram.
Sed ſi durum aliquid tibi quondam
Accidat (vt Sors eſt hominũ) fer pectore forti;
Teq; virum oſtendas; animumq;,
Quem nulla inuitum vis cogere poſſit, habere:
Fataq; contemnas inimica.

Poſt liberatam Melitam à graui Turcarum obſidione.

ODE VIII.

IAm tandem Melite modò terra obſeſſa, ma- (riq;
Euaſit iram cælitum.
Diffugêre metu Turcæ dare terga coacti,
Noſtris & armis cedere.
Ergo age nunc feſta præcincti tempora fronde
Diuis agamus gratias:
Dŷ res Italiæ nomenq;, decusq; tuentur,
Viresq; frangunt hoſtium.
Quis cùm tot Melitam circùmſediſſe carinas,
Tot Barbarorum copias,
Quas vsq; ab Scytbicis Solimanus miſerat o- (ris;

Cumq; & Draguttum cerneret
Omnia conari, ac fabricatis pontibus alta
Conſcendere arcis culmina;
Non deſperaſſet penitus, actumq; putaſſet
De rebus vrbis illius?
Cùm tam felici ſpiraret proſpera flatu
Fortuna ſæuis hoſtibus,
Iamq; expugnaſſent Hermum victricibus ar-
Tumidiq; ſucceſſu forent; (mis,
Numina cœperunt ad nos conuertere vultum,
Rebusq; adeſſe perditis.
Ergo omnes ſubito perculſos corda timore
Fugiſſe Turcas vidimus,
Certatimq; cauas petere, atq; aſcēdere naues,
Ventisq; vela ſoluere.
Milliaq; illorum tam multa occiſa profundi
Domos replerunt Tartari,
Vt ſontes animas Stygiū dum trāsuehit amnē,
Sit nauta iam feſſus Charon.
Tunc etiam duro percuſſus tempora ſaxo
Ferus Draguttus occidit:
Qui contra nos (dum vixit) terraq; mariq;
Cruenta geſſit prælia.
Nunc illos age dicamus pulcherrima proles
Thalia maximi Iouis,
Ac noſtro celebres reddamus carmine, qui ſe
Geſſēre in armis ſtrenuos.

Inter quos Equitũ magnus Valletta magiſter,
Sacriq; Princeps Ordinis.
Non ſecus atq; inter micat aurea ſidera Phœ-
Fortisq; , & optimus ſenex: (bus,
Cuius conſilio Melite ſtat, & Itala tellus
Omnes timores exuit.
Garſiam quoque, Sicanis qui præſidet oris,
Feramus vsq; ad æthera.
Solus nam longa Melitam obſidione leuauit,
Scythasq; duros contudit:
Cùm lectos illuc iuuenes fortiſſima corda
Aduexit altis nauibus.
Illius hinc meritò volat inclyta fama per Orbẽ
Ad vltimam vel Indiam.
Vos quoq; felices nimium, nimiumq; beati
Manes virorum fortium,
Felices manes, veſtro qui ſanguine nobis
Tot attuliſtis gaudia.
Vos eritis clari ſemper, dum lucida certis
Voluentur aſtra legibus.
Nulla dies veſtra abſcondet clariſſima facta,
Viuet perennis gloria.
Non poterat mors optari felicior vlla,
Nec inueniri pulchrior;
Quàm ſi quis medio cecidiſſet turbine belli
Aduerſus hoſteis dimicans.
Vobis ſe nunc relligio debere fatetur,

Pociq; , & aræ cælitum:
Debet et in primis Melite, ac tota Auſonis ora
Seruata veſtro ſanguine.

Ad Ferrandum Gattulam.
ODE IX.

AVreus nondum rutilante curru
Attigit Phœbus geminos Laconas;
Excoquit terras tamen, aridasq;
Iam facit herbas.
O boni quæso, lepidiq; amici
Grata Sebethi properate ad antra:
Tuq; Ferrande ante alios citato
Huc pede adeſto.
Ducere & mecum libeat choreas
Hic vbi nunquàm placidos ſilere
Audias ventos, vbi murmur vndæ
Leniter edunt.
Hic vbi Nympha Andide, Mincioq;
Natus aruorum, pecudumq; cultum,
Mox ſono dixit grauiore duri
Prælia Martis.
Hic vbi magnus Iouianus alti
Lucidos cæli modulatus ignes,
Sedit, ac lymphas docuit referre
Caram Ariadnam.

Hic vbi laudes Superûm Deorum,
Actius Sincerus, & alta ſacræ
Virginis dulci cecinit lyra my-
ſteria partus.
Inde piſcantum varios amores
Luſit agreſti calamo, Deasq́;
Egit vt ſpreto nemore, Aonisq́;
Montibus altis,
Luderent ſecum maris inter vndas.
Hic vbi Rota Aonidum voluptas
Cypriæ cantat faculas, feriq́;
Spicula Amoris.
Hic vbi ſanctas ego nunc Napæas,
Panas, & Faunos veneror bicornes.
Hic vbi fundo crocon, & Sabæa
Thura Maroni:
Cuius ex imis animam ſepulcris
Sedis inuito Stygiæ tyranno
Euoco, dum plena micat ſereno
Cynthia vultu.
Nam ter vt magni cineres poëtæ
Amne luſtraui, ceciniq́; carmen,
Quod nigri manes paueant, & ipſe
Horreat Orcus,
Ilicet tellus tremit, horridumq́;
Perſonat lauri nemus, & ſalictum:
Exit, atq; offert mihi ſe videndam
Vatis imago.

Ad Deos Superos.

ODE X.

SI veniunt alto veri mihi nuntia caſus
 Somnia miſſa polo,
Defeßos cùm nocte leuis ſopor irrigat artùs;
 Dij facite vt potius,
Quàm videã noſtro confoſſum vulnere quen-
 Fundere dulcem animam, (quam
Ipſe obeam nunc præcipuè quòd candida nullo
 Mens ſcelere inficitur.
Iſtud ne Superi conſtet mihi viuere tanti.
 Nam ſcio poſt obitus
Quæ maneant animas hominũ tormenta malo
 Quanta ſit ira Dei. (rum,
Principiò terram caligine mortis opacam
 Impia turba colit,
Pædor vbi, ſtridorq; habitant, et pallor, et hor
 Perpetuoq; gemunt; (ror;
Se ſeq; incuſant miſeri, & crudelia dicunt
 Numina cælicolûm.
Quos fera Tiſiphone geſtans pro crinibus an-
 In manibusq; faces, (gues,
Atq; aliæ circùm dextra, læuaq; frequentes
 Tartareæ Furiæ
Inſtimulãt, agitantq;, et ſæuo verbere, et atris
 Ignibus excruciant.

Quàm cuperēt nūc (heu miſeri) nō eſſe, nec vn
Lucida ſigna poli (quàm
Aſpexiſſe, nec æthereas prodiſſe ſub auras.
Multo erit iis aliter,
Qui benè vixerūt ope fulti, et munere Diuūm.
Vt pote quos genitor
Omnipotens ſibi iam primis delegit ab annis,
Cùm neq; mundus erat,
Nec ſol aſſiduo faceret ſua tempora motu;
AEtheris vt vacuas
Implerent ſine fine domos, æuumq; beati
Cum Superis agerent.

In funere Bætini.

ODE XI.

TAndem ſenex cinædus impuriſſimus,
Qui maximam tyrannidem
Diù hac in vrbe geſſerat, quiq; omnium
Bona ciuium expilauerat,
Vt filios ditaret, ac felicia
Rura emeret, agros, prædia,
AEdes & Hermi montis in radicibus
Sibi beatas conderet,
Hortosq; citris conſitos fragrantibus,
Flueretq; luxu Perſico,
Iram Deorum ſenſit immortalium;

Iacet repentè mortuus.
Cùm ſe cibis expleret, ecce fulminis
Afflatus igne concidit.
Coniux nec illi fœda quicquam profuit,
Non & cinædorum cohors.
Et nunc nigrantis Tartari inter horridas
Afflictus vmbras eiulat.
Crucietur illic ſemper, & quas improbus
Commeritus eſt pœnas luat.
Atq; ô beati quæſo ſaxint cælites,
Qui nobilem Neapolim
Nunquàm tueri deſinunt, vt cæteri
Omnes ità pereant mali.

Ad Ianum Peluſium Crotoniatam.
ODE XII.

PELVSI *quoniam Deis*
Sic viſum Superis, vt genitrix mea
Vitam clauſerit vltimam;
Nec ſi me miſeris excruciem modis
Quicquam proficiam tamen,
Icciręon' Zephyris in mare Caſpium,
Atq; vltrà quoq; ſi libet,
Omnes dem gemitus & querimonias
Deferre & lacrymas ſimul?
Non mi tam rigidum eſt, tamq; adamantinũ

Pectus, menſq; ita maſcula,
Vt tantis nihil ipſe indoleam malis,
Omnes Atropos impia
Vitæ delicias & iubar abſtulit:
Vt ſim ſtipes, & æreus,
Si non & querar, & tot mala ſentiam,
Nec quicquam Superûm tamen
Aduerſus facio numina, ſi mihi
Quæ quondam vbera præbuit,
In lucemq; dedit viuere nunc velim.
Et quandò id fieri nequit,
Extinctam hanc aliquo tempore lugeam,
Materna vt pietas iubet.
Te ſi quid ſocij dulcis amor tenet
Peluſi optime, lacrymas;
Quæ nunc ex oculis ſponte fluunt ſua,
Ne porrò impedias rogo.
Muſarum potius namq; cohors tibi
Vni præ reliquis fauet,
Illam de tumulo verſibus excita.

Ad Galeatium Florimontium Sueſſanorum Antiſtitem.

ODE XIII.

MOns floride, atq; amæne, mōs dulciſſime,
Cuius ſacratā veſtiunt cacumina

Lauri

Lauri virentes, totq; odoratæ arbores:
Vnde omnis ora, quã propinquus alluit
Liris, Sueſſa & ipſa, & vrbes ceteræ
Sibi petunt remedia: nanq; gramina
Fers ipſe morbis omnibus præſentia;
Ad te venire geſtio, ac tua frui
Securus vmbra. Iam vale Neapolis,
Valento amici: cognitum fama iuuat
Videre montem, et eius in ſummis iugis
Flores nitentes carpere, atq; intexere
Meis coronam crinibus. non amplius
Parnaſſi erũt petenda montis culmina.
Satis ſuperq; erit mihi, ſi floridum
Spectare montẽ liceat, & complectier.
Illic habebo quicquid anius auet meus
Fontes, nemora, ſaltus, vireta, paſcua.
Illic agam beatus, illic maximas
Laudes ſupremi concinã Diuũm patris,
Dicamq; priſco audita nondum ſeculo,
Nec vatibus cantata dum prioribus:
Cantuq; tollar cœli ad alta ſidera.
Volare iam volare iam nunc geſtio.

Ad Ioannem Franciſcum Lombardum, de Puteolanorum Balneorum libello.

ODE XIIII.

ORNABAT olim tua virenti Delius
Franciſce myrto tempora.
Nam te puellæ lauerant Libethrides
Liquore fontis Pegaſi.
At nunc Opis repertor idem laurea
Ornabit hoc tuum caput.
Dum, quæ latebant temporis caligine,
Micantiori lumine
Profers in auras candicantis ætheris
Hæc tam venuſta Balnea.
Quæ membra, quæq; corpus omne languidi
Suapte confirmant ope.
Quæ non pauebunt amplius poſthàc malas
Salernitanorum manus:
Nec quicquid Orbem territat, nec omnia
Iouis triſulca fulmina.
Quin ipse odorum vitrea ex vrna caput
Pontanus efferet meus.
Cantauit ille Balneas inter ſuas
Plectro decorus aureo.

Ad Fabium Iordanum Iureconſultum.

ODE XV.

TE Fabi non ſuſpiciam? tuiq;
Non amem dotes animi beati?
Cùm ſuis te plus oculis amarit
Semper Apollo,
Et cohors ſancta Aonidum ſororum:
Quas ego à primis veneratus annis
Quærere occœpi varias per artes,
Perq; labores
Plurimos, nec dum reperire poſſum:
Nanq; ſemotæ à ſtrepitu profani
Vulgi, in excelſo poſuêre montis
Culmine ſedem:
Quò nimis pauci potuêre Vates
Ire, tam dura eſt via: meq; cœpti
Iam piget, vellemq; pedem referre,
Nì pudor eſſet.
Vos, quibus fato meliore naſci
Contigit, celſum ſuperate montem,
Ac mihi quæſo iuuenes amicam
Porgite dextram.

Ad Scipionem Fontanum, ſculptorem præſtantiſſ.

ODE XVI.

Ex auro mihi poculum
Fac Fontane cauum, neq;
Illic Martia prælia
Cælato, neq; lucida
Cæli ſidera cudito.
Cum bello quid enim mihi?
Aut cum ſtellifero polo?
Formoſam potius velis
Illic ſculpere Siluiam:
Verùm arte egregia eſt opus:
Nam nil pulchrius vſpiam.
Fac illi geminos velut
Cæli ſidera ocellulos,
Fulgenteſq; papillulas,
Quales Cypris habet Dea.
Spirent ambroſiam comæ,
Si tantum facere ars queat,
Sint & purpureæ genæ:
Labris rubra corallia
Cedant, dentibus Indico
Aducta æquore conchulæ.
Talem ſi mihi finxeris,
Non nummos tibi vilia

Mittam munera, ſed magis
Immortalia præmia.
Nam reddam celebrem meis
Te Muſis, vagus arduo
Dum ſol curret in æthere.

Ad Ioannem Antonium Piſanum, medicum & philoſophum.

ODE XVII.

S IC *obligaſti me Piſane candide,*
Piſane Muſarum decus;
Vt nec Prometheus geſſerit, cùm Caucaſi
Penderet altis rupibus
Plures catenas, anulosq; ferreos,
Magno volente ſic Ioue:
Quòd auſus eſſet igneam mortalibus
Afferre de cælo facem:
Manu tamen pòſt ille fortis Herculis
Omnes catenas exuit.
Me ſola verò Mors, eam præter nihil
Exoluere è vinclis poteſt:
Queis obligaſti me Piſane candide,
Piſane Muſarum decus.

Ad Lydam ſeneſcentem.
ODE XVIII.

DVM tibi pulchro Veneres in ore
Lyda ſpirabāt, Charitesq; blandæ,
Intimo ſenſi, fateor, calentem
Pectore flammam.
At licet tunc aſſiduas ocellis
Fuderim noctes lacrymas, diesq;:
Tu tamen ſemper rigida fuiſti
Sæuior Vrſa.
Nunc quòd apparent capitis pruinæ;
Quòd nitor pulchræ perijt iuuentæ;
Liuidi iamq; incipiunt ſenectam
Prodere dentes;
Rurſus optares fieri venuſta,
Qualis & dudum fueras puella.
Sed ferunt ſecum tua vota flantes
Irrita venti.

Ad Ianum Peluſium Crotoniatam.
ODE XIX.

IVre eſſe dicam te Milonis editum,
Clariſſimo de ſanguine.

Nam ſicut omnes ſtrenuus ciuis tuus
Vincebat Athletas Milo;
Contraq; qui ſtetiſſet ad terram dabat
Ludo in palæſtræ gymnico.
Sic tu Cloacum, ceteroſq; peſſimos
Tuo obſtrepentes carmini,
Decoro in ipso Apollinis certamine
Manus cöegiſti dare.

In matricidam.

ODE XX.

QVis furor vt dulcem iugulares enſe parentem
Te natê adegit impie?
Clamantem fruſtrà miſeram, lacrymaſq; cientem
Fruſtrà? maris nam ſurdior
Tu duro ſcopulo potuiſti condere ferrum
In immerentis viſcera,
Tingereq; audacem genitricis ſanguine dextram?
Quæ te trecentos geſſerat
Sub Zona ſoles, ac te naſcente dolores
Partus acerbos ſenſerat:
Tum ſuauem labris adhibens tibi primà papillam
Lacte educauit candido:
Quæq; ſuam caſtè vitam traduxerat inter
Lares paternos, coniugis
Exſpectans cari reditum, velut optima fertur

Feciſſe quondam Vlyßei
Vxor, quæ licet inde procis peteretur & inde;
Tamen pudorem maluit;
Inlæsumq; ſuo thalamum ſeruare marito;
Quàm ſe ſe amori dedere:
Ne forſan clari tantum defendere crimen
Oreſtis exemplo pares:
Qui quòd fulmineo matris latus hauſerit enſe;
Ad alta fertur ſidera.
Non eadem quando cauſſa eſt: dedit acer Oreſtes
Adulteram matrem neci;
In ſexcenta ſuum ſecuit quæ fruſta maritum;
Atq; vltus eſt manes patris.
Tu verò ſanctam, nec quicquam tale merentem
Matrem trucidas improbe.
Ecquò te poſthac referes? circumſpice cælum:
Hic hic ſupremus imperat
Diuorum genitor, ſi neſcis, omniaq; inde
Facta intuetur omnium.
Qui tantum ſcelus exoſus Phlegetonte profundo
Accerſet vltrices Deas,
Vt tua Tartareis vrentes pectora flammis
Noctes dieſq; torqueant.
Nec verò in terris ſolùm cæleſtibus æquè
Inuiſus ac mortalibus
Traduces vitam, ſi vita erit iſta vocanda:
Sed ad nigri cùm pallidas

Olim defunctus ſedes deſcenderis Orci,
Quæ deſtinatæ ſunt tibi;
Infelix anima æterno cruciabitur igni;
Tormenta & inter millia
Aſſiduò ſemper verſabitur, improba tanti
Pænas datura criminis.
Vt quantum ſiet, ipſe tuo miſerande periclo;
Necaſſe matrem, ſentias.

Ad Angelum Conſtantium.
ODE XXI.

NOſtræ quòd altum tollis in æthera
Luſus iuuentæ, & cum veterum referi
Scriptis pöetarum quibuſuis
Eſſe meos modò conferendos.
Agnoſco amorem ſcilicet Angele
Diuine, quo me proſequeris. benè
Nanq; ipſe, & hac vel luce noui
Clarius, vt mihi ſit ſupellex
Anguſta, rerum pauper & omnium;
Vates requirat quas ſibi maximus;
Vtq; arida ipſa hæc ſit puſilli
Ingenÿ, tenuiſq; vena.
At quantacunq; eſt, ô decus, ac tuæ
Lux clara gentis, quandoquidem tibi
Nodo Herculis ſic obligaſti;

Vt nequeam niſi morte ſolui;
Terras per omnes (ſi dederint mihi
Hoc poſſe tantum Nymphæ Heliconides,
Paterq́; Apollo) Gangis vltrà
Te rapidos celebrabit amnes.

Ad Deum opt. max.

ODE XXII.

O Qui ſupremas ætheris domos colis
Rerum creator omnium,
Quas ipſe agam nunc gratias tibi pater,
Laudesúe dignas concinam?
Propter tot in me collocata munera
Tua potente dextera?
Cùm me immerentem cogitarent Barbari
Illi Heluones perdere,
Fraterq́;, terra quos alit vel omnium
Mortalium nequiſſimus,
Nunc enſe pectus fodere, nunc vellet mihi
Auferre vitam toxico,
Meamq́; nigro dente famam rodere
Noctes diesq́; pergeret:
Totq́; heu miſellus hinc malorum fluctibus
Oppreſſus, atq́; illinc forem;
Tu lucidum ceu ſidus alto in æquore
Nautis periclitantibus

Tenebricoſa in nocte, & inter nubila
Condenſa lumen explicat,
Mihi affuiſti Rex benigne cælitum,
Sanctamq; porrexti manum.
In gaudium vertiſti, & in dulces iocos
Aegri dolorem pectoris.
Nunc ergo te, tuumq; nomen laudibus
Ad alta tollam ſidera.
Nam iuſtus es, potenſq; nec ſe gentium
Conferre Dij poſſunt tibi.
Tu nanq; viuis, nutu & aſtra temperas,
Imamq; terram concutis.
Illiq; lignum ſunt, & æs: nec audiunt
Pias adorantum preces.

IVLIVS ANTONIVS SANCTORIVS ARCHIEPISCOPVS

Ioanni Baptiſtæ Arcucio S. P. D.

NVper tuas accepi litteras, & mihi quidem gratas, ac periucundas; non modò quòd ijs magnum amorem erga me tuum, quem nunquàm dubitaui, tuo ex animo etiam diuturno quocunq; ſilentio dilabi poſſe, cognouerim; verùm etiam quòd reipſa te mihi præter modum beneuolum præſtas, & mirificè liberalem exhibes; dum me caro, atq; magnifico munere honeſtaſti. Namq; cum illis & carmina, quæ in Chriſti Domini natalem diem perſcripſiſti, accepi, eaq; ſæpe ſumma cum delectatione perlegi, & cedro minioq;, ac (quod potiſſimum eſt) Chriſtiano homine digna iudicaui. Profectò eiuſmodi eſt Pöema, vt in illo nihil à quopiam deſiderari poſſe videatur: cùm in eo facilè poetæ ingenium, ornatum dicendi genus, candor linguæ, rerum

ordo, grauitas ſententiarum, religionis obſeruantia, ſacrarum deniq; litterarum peritia clarè reſplendeant: vt & meritò auctor clarus Pöeta, & ſacer Theologus (ſicut verè eſt) ab omnibus dijudicari facilè poſſit. Hinc eſt, vt munus mihi valde pergratum fuerit; tibiq;, quòd mihi opus dicaueris, pro certa grati erga te animi mei ſignificatione gratias ingentes agam, & plurimum debeam; quemadmodum tua exigit Virtus, tuaq; expoſtulant merita: quorum memoriam nulla fortunæ conditio, nullus conſecutæ dignitatis honor, nulla loci, vel temporis intercapedo, nulla deniq; vnquàm obliuio delere poterit. Semper enim tuarum litterarum peritiam, bonarum diſciplinarum ſtudium, & diuinarum atq; humanarum rerum ſapientiam maximè commendaui; vitæ verò integritati, ac compoſitiſſimorum morum probitati plurimum detuli, ac mitiſſimi animi tui tranquillitatem nunquam non admiratus, ſingulari te bene-

uolentia complexus ſum, ac in futurum incredibili (vt decet) charitate complectar. Interim quæ de Pij V. Pont. max. laudibus, vti polliceris, exarabis, aliaq; tuæ Muſæ lectiſſima pignora, quæ à me vt venerãda præclari ingenij tui monimenta magnoperè exoptãtur, in lucem proditura propediem expectabo; atq; tuo nomine ſanctiſs. Pontificis pedes exoſculabor. Vale. Romæ Decimo cal. Februarias M.D.LXVII.

IO. BAPTISTAE ARCVCII
in Chriſti Domini natalem diem,

AD IVLIVM ANT. SANCTORIVM
S. SEVERINAE ARCHIEPISCOPVM.

EXOPTATA dies tandem, luxq; aurea mundo
Iam redit, humano generi qua maximus auctor
Sopito illuxit tenebroſæ mortis in vmbra,
Atq; oculis ſomnum eripuit, longumq; veternum.
Magna Dei pietas; æuo mundoq; recenti,
Cùm iam ſeminibus nullis lucentia cæli
Sidera, telluremq; imam, pontumq; creaſſet,
Quæq; adeò terræ & ſpatio includuntur Olympi,
Omnipotens Hominem tandem creat, omniaq; illi
Subiecit pedibus, pulchra & regione locauit,
Inter odoratos hortos, vbi pura voluptas,
Et bona pax animi ſemper comes illius eſſet.
Mòx ne felici ſolus frueretur in horto,
Permulcens grato compleuit lumina ſomno:
Tum lateri coſtam Deus abſcidit, inq; puellam
Formauit, quæ tam nitido comes eſſet in horto,
Et caſti conſors thalami, lectiq; iugalis.
Conceſſitq; Deus quacumq; ex arbore fructus

Carpere; ſed medijs vnam conſeuerat hortis,
Cuius erat vetitum radiantia tangere poma.
Callidus inuidit Serpens, adijtq; puellam;
Atq; ait. ô fortunatos, nimiumq; beatos
Vos Homines; veſtro ſi deguſtabitis ore
Dulcia quæ viridi pendent ex arbore poma.
O quot tunc venient noua gaudia, quãta voluptas?
Lumina, quæ vobis nunc ſunt occluſa, patebunt;
Atq; Deo ſimiles eritis, qui cuncta ſcit vnus.
Id quod ne forſan vobis contingeret olim,
Inuidus iccircò vetuit contingere dextra.
His dictis deſiderium, ardoremq; puellæ
Ingenuit fructus guſtandi, atq; aurea poma.
Ergo mœſta virum coniux adit ipsa, rogatq;
Obnixè, carpat rutilanteis arbore fructus:
Quoq; magis flectat, lacrymis irrorat ocellos.
Ipſa manu tenera primùm decerpſit, & ori
Admouit. quid vir faceret? non paſſus amatam
Vxorem longo miſeram tabeſcere fletu.
Accipit, àh comeditq; Parens. tũc horrida primùm
Intrauit Mors in terras, intrauit Egeſtas,
Et Labor, & duri vexantes corpora Morbi.
Nec ſibi primigeni tantùm nocuêre parentes,
Cùm primùm magni violarunt iuſſa Tonantis;
Humano ſedenim generi, gentiq; futuræ
Ex æquo nocuêre. Patris ſcelus omnibus vnum
Officit, illius quicumq; à ſemine nati

Huius ſub cæli dulcem prodiuimus auram.
Nobiſcum veniens primo traducitur ortu
Cunctorum fomes, radix atq; vna malorum.
Sic affectus Homo infelix, felicibus hortis
Eiectus ſua lugebat tam triſtia fata.
At Deus humanam ſortem miſeratus ab alto eſt,
Ferre & opem miſero ſtatuit; quòd fraude, doloq;
Deceptus tanto cecidiſſet culmine rerum:
Atq; bono iubet eſſe animo, & ſpem pectore firmo
Concipere; & multis olim labentibus annis
Affore promittit tempus, cùm maximus alto
Ipſe velit cælo proprium demittere natum:
Qui genus humanum reparet, ſummoq; parenti
Conciliet, feriatq; ſuo cum ſanguine pacis
Aeternum fœdus, veteres componat & iras:
Inq; huius iubet aduentu ſperare ſalutem.
Intereà legesq; tulit, ritusq; ſacrorum
Edocuit, ſua queis poſſet placarier ira.
Quoq; magis nati aduentus mortalibus ægris
Optatus fieret, complures diſtulit annos.
Ne tamen abijcerent animos, ſpemq; illius omnem,
Diuino afflatos præmiſit numine vates:
Nuntia qui generi humano felicia ferrent,
Ac propè adeſſe diem canerẽt, iamiamq; futuram,
Qua cælo veniat ſummi patris vnica proles.
Ergo vbi iam multos Hominem lactauit in annos,
Altitonans tandem decreuit mittere natum.

Sed quoniam claro Dauid de ſanguine naſci
Debebat, totam genitor luſtrabat Idumen,
Siqua foret partu mulier digniſſima tanto.
Occurrit Virgo claris natalibus orta,
Et genus à Dauid ducens, pulcherrima Virgo,
Cui Luna, atq; Aurora nitenti cederet ore.
Non illi Veneris laſciuæ gaudia curæ,
Non choreæ, riſuſq; leues: ſed numine plena,
Atq; viri thalamum, tedaſq; exoſa iugales,
Caſta miniſtrabat templis, ariſq; puella.
Hanc Deus elegit ſibi de tot millibus vnam,
Quæ nati genitrix eſſet, quæ ferret in aluo
Quem non tota poteſt concludere machina mundi.
Fortunata nimis Virgo, gratiſſima cælo,
Quam Deus omnipotens tanto dignatus honore eſt.
Tu ſolo afflatu diuini numinis aucta
Humano ſine ſemine, inoffenſoq; pudore
Concepiſti vtero terræ, cæliq; parentem,
Conceptumq; nouem poſt menſes lucis in auras
Effudiſti aluo intacta, ac ſine labe pudoris.
Non aliter quàm Cryſtallus perlucida clari
Admittit ſolis radios, eademq; remittit,
Inuiolata manens. res admiranda, nec vllis
Iam ſeclis audita: poteſt tamen omnia ſummus
Rerum opifex feciſſe Deus. Iamq; vbera Virgo
Plena geris niueo lacte, infantemq; tenellum
Virgo eadem genitrixq; tuis alis alma papillis,

Et dubitem nunc ipſe afflictis poſcere rebus
Auxilium, numenq; tuum Regina? Deamq;
Dicere te magni matrem, ſobolemq; Tonantis?
A te nunc eſt, vitali quòd perfruor aura,
A te quòd ſcelera, & vitiorum examina ſemper
Horruerim, latamq; viam, quæ ducit in Orcum.
Tu mihi concilias natum, tu plurima larga
Largiris mihi dona manu, tu dulcia dictas
Carmina, quæ noſtra paſſim cantentur in Vrbe.
O pereat quicunq; tuo turbatur honore,
Qui Mariæ audito non geſtit nomine, quiq;
Te maris eſſe negat ſtellam, portumq; carinis.
Sed viuat quicunq; tuo lætatur honore,
Audito dulcis Mariæ qui nomine geſtit,
Qui maris eſſe canit ſtellam, portumq; carinis.
Nunc ô Diua, tuas hilari dum carmine laudes
Proſequor, ac tanti refero myſteria partus,
Nunc magis aſpira noſtris age proſpera cœptis:
Nam mihi Calliope tu ſola, atq; inclyta Clio.
Iam mediam Nox obſcuris inuecta quadrigis
Contigerat cæli metam, quo tempore gratos
Omnia per terras carpunt animalia ſomnos:
Cùm Sermo ille Dei omnipotēs, Sermo oĩa cōplens,
Quo mare, quo terras, fulgentiaq; ætheris aſtra
Perfecit quondam rerum cui ſumma poteſtas:
Qui magno è genitore, velut de ſole micantes
Emanant radij, pulchrumq; è lumine lumen,

Profluit, æqualisq; illi per ſecula regnat,
Ex altis cæli penetralibus affuit, ac ſe
In paruam ſanctæ demiſit Virginis aluum:
Formauitq; ſibi tot tanta incommoda corpus
Paſſurum, & diram tandem per vulnera mortem.
Ille Deus, qui cuncta leues produxit in auras,
Telluremq; imam, pontumq;, et quicquid vbiq; eſt,
Temperat, & ſolo regit aurea ſidera nutu,
Ex nobis vnus fieri, & ſub tempore naſci
(Tantus amor) voluit, tempus qui condidit ipſum.
Et iam pulchra ſuum nouies impleuerat Orbem
Cynthia, cùm ventris dulciſſima pignora Virgo
Edidit in lucem nullos perpeſſa dolores,
Vt nullos erat attactus perpeſſa viriles.
Fit genitrix, Hominemq; parit (res mira) Deumq;
Sicut erat Virgo remanens. ne quære doceri
Quo fuerit res acta modo: ſed cuncta putato
Poſſe Deum facere, ex nihilo qui cuncta creauit.
Tunc pater, æternos curſus qui dirigit aſtris,
Plurima ſigna dedit, mira & portenta per Orbem
Oſtendit cari exortum teſtantia nati.
Cæleſtumq; choros iuuenum plangentibus alis
Aethere demiſit, nigræ qui noctis in vmbra
Cuſtodes eſſent pueri, circumq; ſupraq;
Speluncam, qua natus erat pulcherrimus infans,
Luſtrarent choreis feſtum Pæana canentes.
Iamq; ecce æthereis aderant è ſedibus omnes.

Cælicolæ tanta allecti ad ſpectacula Diui,
Et varijs latè implebant concentibus auras.
Non procul hinc arcens ſtabulis fureſq;, luposq;,
Ducebat vigilem noctem Paſtoria turba:
Quos iuuenis cæli alloquitur radiantis alumnus.
Paſtores Superis gratum genus, omnia quandò
Lætitiæ dant ſigna; feræ, monteſq; reſultant,
Vos etiam vos, hæc propiùs quos gaudia tangunt,
Exultate pij Paſtores, cunctaq; plauſu
Complete, & dulci noua carmina dicite canna.
Namq; ſupercilio totum qui concutit Orbem
Hac noctu ſancta voluit de Virgine naſci.
Ite ite, & tanto Regi munuſcula ferte,
Dum licet, ac teneris infigite baſia plantis.
Hæc ait; oſtenditq; antrum ſub rupe cauata.
Illi confeſtim ſiluis incidere pinum
Approperant, noctemq; accenſis pellere tedis.
Mòx & proceras lauros, cedrosq; comantes
Euellunt, primoq; ſpecus in limine figunt.
Ipſi autem viridi præcincti tempora myrto,
Atq; hedera, puero ſilueſtria dona ferebant
Arbuteos fœtus, incluſaq; ſubere mella,
Inq; laboratis fiſcellis lactea fruſta.
Parte alia extremo Reges Oriente profecti,
Prodigijs Diuûm moniti, ſtellamq; ſecuti
Munera portabant nato digniſſima Regi
Auri ingens pondus, myrrham, et redolentia thura.

Hos inter plauſus hominum, & tot gaudia cæli
Sic pueri aligeri cantabant noctis in vmbra.
Gloria, lausq; Deo noſtro ſit in ætheris oris,
In terris Pax alma viris, & recta voluntas.
Te canimus pater altitonans, tua maxima facta
Laudibus efferimus: ſolus nanq; omnia nullis
Seminibus dias eduxti in luminis oras.
Ipſa vel in primis lucentia ſidera cæli
Sunt manuum cunctis opera admiranda tuarum,
Et tellus, & tellurem qui amplectitur ingens
Oceanus: tu nos etiam, quibus aurea templa
Incolere, ac ſummi ſedes concedis Olympi,
Cùm nihil eſſemus, quondam Rex alme creaſti.
Quotidiè miranda edis portenta per Orbem,
Et nunc Humani generis miſeratus acerbam
Fortunam, cælos inclinas, deq; puella
Paupere vis naſci pauper ſub paupere tecto.
Felicem nimium noctem, nimiumq; beatam,
Qua tantum iubar illuxit mortalibus ægris.
Vos quoq; felices nimium, nimiumq; beatos
Mortales, quibus orta ſalus eſt iam ſua tandem.
Nobiſcum ſummi laudes nunc dicite Regis,
Nunc hilares eſſe, atq; adeò nunc tempora feſta
Cingere fronde iuuet, pedibusq; impellere terram.
En vobis ſperata ſalus, en regia cæli
Panditur, immenſus vobis en ridet Olympus.
Hæc ego SANCTORI ſub amœno colle canebam

Pauſilypi, ſacram Vates vbi maximus olim
Diuûm Reginæ erexit pius Actius ædem.
Cùm mihi non falſus percuſſit nuntius aures,
Turcarum Claſſem ingentem freta Thracia curſu
Iam præteruectam Boreæ ſpirantibus auris
Oras Trinacrij primùm legiſſe Pachyni,
Mòx Meliten duro cœpiſſe obſidere bello.
Iamq; vtrinq; feri committi prælia Martis,
Dum complere parat foſſas hinc Barbarus hoſtis,
Mœniaq; aggeribus ſtructis aſcendere tentat.
Contrà obſeſſi Equites arcis defendere muros
Inſtant intrepidi, atq; animas effundere dulci
Pro libertate exultant, ariſq;, focisq;.
At vos ô Diui, quibus eſt res Itala curæ,
Aures ſi nondum precibus clauſiſtis amicas,
Vos hunc Pontificem, magni quem rector Olympi
Ipſe ſibi elegit, multos ſeruate per annos
Incolumem; quandò ſimilem nulla attulit ætas.
Quo nihil Auſonia, atq; Orbis caput inclyta Roma
Sospite permetuant, vel ſi Scythia irruat omnis.
Hic agat vt Reges poſitis diſcordibus armis
Inter ſe tandem componant fœdera pacis;
Coniunctiſq; animis Galluſq;, & fortis Iberus
Obſeſſis ferre auxilium, ac formidine tanta
Eripere Auſoniam properent, pelagoq; carinas
Hoſtiles aut ſubmergant, aut ignibus vrant.

ADſitis ſummo Parnaſſi è vertice Nymphæ
Pierides, magnūq; Pium tollamus ad aſtra.
Qualis, cùm flantes conturbant æquora venti,
Eſſe ſolet nautis gratiſſima ſtella Laconum:
Talis temporibus noſtris mortalibus ægris
Affulſit Pius ex alto delectus Olympo.
Nam cùm vidiſſet Diuumq́; hominumq́; creator
Flagitia, atq; dolos terras regnare per omnes:
Virtutem verò, cunctis mortalibus vna
Quòd neglecta foret, cæli aſcendiſſe cacumen;
Ad ſe ſe Diuos vocat, & mox talia fatur.
Scitis Cælicolæ magni, ac meminiſſe poteſtis
Quanta Hominū generi vel prima ab origine mūdi
Ipſe manu larga dederim cæleſtia dona.
Cur igitur non exequitur mea mitia iuſſa?
Omnibus aut noſtrum rebus præponit honorem?
Idcircò in terras quoties mea lumina verto,
Atq; æqua lance expendo mortalia facta;
Continuò ſubit ira hominum genus omne triſulco
Fulmine percuſſum piceas detrudere ad vndas
Tartarei Phlegetontis, vbi impia turba Gigantum
Aeterno dignas perſoluit tempore pœnas.
Verùm dilecti quoties dulciſſima nati
Occurrit facies; & quantos ille labores
Pertulerit carne aſſumpta, dum ſedulus alta
Iuſſa patris magni exequitur, mihi protinus imo

Pectore conſurgit pietas, & temperat iras.
Nunc etiam quamuis omnes exurere flammis
Iuſtitia admoneat, cogor tamen huius amore
Parcere, & humanæ miſerari incommoda gentis.
Ergo Pontificem, totus cui pareat Orbis,
Conſtituam longè ante alios Virtute micantem,
In quem coniiciant vnum ſua lumina cuncti,
Ac ſibi proponant imitandum, & ritè colendum.
Qui quoniam ſic præ reliquis mortalibus vnus
Inſigni candore animi, & pietate niteſcet,
Aureus vt cœli micat inter ſidera Phœbus,
Terrarum toto PIVS appellabitur Orbe.
Hic poſtquàm Petri ſolium conſcenderit altum,
Componet primùm feſſam diſcordibus armis
Auſoniam miſeram, iucundæ ad fœdera pacis
Ipſos compellens Reges, dulcemq; quietem
Per cunctam latè Europam regnare iubebit.
Mòx etiam mores hominum formabit agreſtes,
Romanamq; ſuis purgabit ſordibus aulam.
Quare Turca ferox illum, Germanaq; pubes
Quamuis à noſtris defecerit impia ſacris,
Suſpicient tot præclaris Virtutibus auctum:
Atq; ipſa in primis rerum pulcherrima Roma
Tercentum poſitis ſupplex venerabitur aris.
Quandoquidem non ille malò ſuccenſus habendi
Pectus amore, ſeret crudelis ſemina belli
Afflicto in Latio, populoſq; vocabit ad arma:

Id quod Pontifices olim feciſſe priores
Vrbes tot miſeræ clamant, euerſaq; regna:
Sed mitis velut antè, nihil mutatus ab illo,
Qui quondam fuerat, vili cùm tectus amictu
Corpora, viuebat contentus paupere cella,
Mente mihi pura faciet gratiſſima ſacra.
Quin noſtra illius precibus placabitur ira,
Cùm ferus ingenti Turcarum claſſe tyrannus
Obſidione graui Melitam premet vndiq;, & ipſis
Exitium Siculis audax minitabitur oris.
Tunc ego namq; ſenis lacrymis commotus amici
Terrorem Turcis immittam, & vertere terga
Cogam, atq; in patriam nulla cum laude reuerti.
Sed poſtquàm mira mortales rexerit arte,
Ac penè in totum diffuderit aurea mundum
Secula, præclaro defunctum munere tandem
Eripiam terris, atq; alta ad ſidera ducam,
Vt meritas cæli ſedes colat omne per æuum
Indigetes inter reliquos, Diuosq; minores.
Sic fatus tacuit ſummus moderator Olympi.

AD HIERONYMVM SERIPANDVM CARDINALEM.

INcipiam Seripande tuas nunc dicere laudes:
Et faciam ceu qui nitidos ingreſſus in hortos
Tot varios inter flores contexere ſertum

E ſolis gaudet violis, pulchriſúe hyacinthis,
P ræteriens reliquos. nam ſi tua ſcribere cuncta
Geſta velim, penitusq; omnem percurrere vitam,
D eficeret primo mea parua in limine Muſa.
N ec tibi defuerint alij, quibus almus Apollo
F rondentis lauri crines ornauit honore,
L argaq; munifici tribuerunt otia Diui.
N am quis te primis non eſt miratus ab annis?
Qui cùm præclaris eſſes natalibus ortus,
A ffluaresq; opibus tantis, ac diuite cenſu;
N on facis vt iuuenes alij, quos inter odores
E ſſe iuuat, pictisq; in equis ambire puellas.
S ed pectus veræ accenſus pietatis amore
(Seu quòd eras diuinum animum ſortitus ab aſtris,
Qui vera inſpiceret per ſe bona: ſiue quòd alti
H uc impellebat magnus moderator Olympi.)
A rcta volens in clauſtra recedis, teq; cooptas
I n numerum, cœtumq; ſacrum, quem maximus ille
I nſtituit Fidei aſſertor, lumenq; coruſcum,
Q uo pia relligio longe lateq; per Orbem
E xeruit caput, ac tenebras iam diſpulit omneis,
Q uo ſemper Libyæ fulgebunt lumine campi.
H oc genus ingreſſus vitæ, & gratiſſima nactus
O tia Muſarum ſtudijs, ſic nauiter altum
E xcolere ingenium per doctas incipis artes,
V t mòx illarum ſuprema ad culmina vectus
C œperis inſigni latè clareſcere fama.

Nam quis doctrina, aut vitæ probitate? quis oris
Tam dulci tecum poſſit certare loquela?
Ipſe quidem (dicam ingenuè Seripande, nec vllo
Cum fuco, iure à nobis qui debet abeſſe)
Cùm video egregios iſtos, nec temporis huius
Obliqui, ſummo ſed dignos æthere mores;
Audióue orantem, lepido aut ſermone fluentem,
Eſſe mihi in cælo videor, veſciq; Deorum
Nectare, & ambroſia, vel ſi quid dulcius illis.
O mea Parthenope felix patria, inclyta Siren,
Quæ tulit hunc, aluitq;! ó fortunata Salerni
Mœnia, quæ tanto rectore, & præſule gaudent!
Et quibus hunc licuit toties audire loquentem
Alto è ſuggeſto magnis de rebus Olympi:
Vt Deus omnipotẽs, ſapiens, bonus, vnica, ſimplex
Res, Diuina, triplex perſona hoc omne crearit,
Quod circùm aſſidua rapitur vertigine cælum,
Et quod ſub nitido cumq; eſt ſpectabile cælo:
Quæq; oculorũ aciem effugiunt, habitãtq; ſupremã
Aetheream mundi regionem. vt Lucifer olim,
Quòd magno ſe ſe aſſimilem tentauerit audax
Aequalemq; Deo facere, exturbatus ab alto
Corruerit cælo infelix, ſecumq; per auras
Traxerit impuram ſub Tartara nigra cohortem:
Vt pòſt inſidijs, & multa fraude parentes
Humani generis primos eluſerit Anguis.
Nam ſimul à vetita carpſerunt arbore poma,

Guſtaruntq; etiam impulſi Serpentis iniqui
Fraudibus, & magni violarunt iuſſa Tonantis,
Qui priùs extiterant felices, inq; beato
Deliciarum horto degebant, inde repentè
Eiecti, atq; inopes facti, & rerum omnium egeni.
Vt Deus hanc hominum ſortem miſeratus acerbã,
Ipſe ſuam æthereis genitor deſcendere ab oris
Progeniem, verumq; Deum; atq; aſſumere carnẽ
Iuſſerit, humanosq; artus, moribundaq; membra.
Quem quoniã capere inſontem, atq; addicere morti
Eſt auſus generis noſtri ſæuiſſimus hoſtis,
Iure ſuo exceſſit regno, & vim perdidit omnem.
Poſtremò quanta ipſorum ſit gloria Diuûm
Eloqueris, grauibusq; attollis in æthera dictis
Arrectos animos patriæ melioris amore.
Vidi aliquos his auditis conuertere vitam
In melius, veteresq; malos dediſcere mores.
Nimirum huc illuc varijs affectibus actos,
Impulſosq; animos hominũ; quaſi in æquore nauem,
Quam flantes agitant venti, feriuntq; procellæ,
Pertrahere in portum gaudes, tutosq; receptus,
Ac placidis etiam dictis lenire furentes.
Orphea ſic olim gelidis in rupibus Hæmi,
Quaq; Hebrus fluit, & rapido Rhodopëia curſu
Arua rigat, molliſſe feras, & concita dicunt
Fluminaq;, & ventos cithara tenuiſſe canora.
Nempe rudes homines docuit, duriſſima flexit

Pectora, præcipites animos firmauit, & vni
Imperio mentis dominæ parere cöegit
Vir ſapiens, prudensq́;, & facundiſſimus ore,
Calliope genitus Muſa, admirabilis Orpheus.
At non ille tamen ſe ſe tibi conferat vnquàm
Cæleſti vita, aut facundæ munere linguæ.
Nam quis non videt in terris te ducere vitam,
Qualem credibile eſt agere in cæleſtibus oris
Felices illos Superos, menteſq́; beatas?
Totus es in cælis animo, cæleſtia toto
Pectore ſuſpiras, illuc tua dirigis acta,
Et noſtras habitas ſolo vix corpore terras:
Sic tamen vt prodeſſe velis mortalibus ægris
Quare cumq; potes. ſit terrarum ambitus omnis,
Ad quem peruenit tua maxima gloria, teſtis:
Quæq́; tibi multum debet ſit patria teſtis.
Nam modò quis potuit compeſcere Cæſaris iras?
Aut illum ferro optantem reſecare tumultus,
Iam iamq́; in miſeros ciues ſæuire parantem
Continuò noſtræ pacatum reddidit Vrbi?
Vnus tu patriæ legatus nomine miſſus
Sumpta manu magni, atq; inuicti Cæſaris arma
Auſus es eripere, ac penitus diuellere dextra.
Paruit armipotens Cæſar tibi protinus vni,
(Tanta tuo vis eſt ſermoni, ea lactea fandi
Vbertas) teq́; accepit placidiſſimus ore,
Suſpexitq́; etiam, ſummis & honoribus auxit:

Pontificesq; ſuos inter numerauit, & vni
Iam tibi felicis concredidit arua Salerni.
Macte animo Cæſar, Diuûm cura, optime Regum,
Qui claros Virtute viros ad ſidera cæli
Vsq; attollere amas, dignis & honoribus ornas;
Sis magnus licet imperio, & præſtantibus actis,
Vno opere hoc ſemper diceris maior, & omnes
Antiquos Reges ſuperare: nec ipse Philippus,
Qui nunc ingreditur tua per veſtigia, fælix,
Cunctorumq; applauſu Orbis moderatur habenas,
Dicetur te patre minor: natusq́;, paterq́;
Illuſtres eritis fama, dum ſidera cælo
Lucebunt, rapidoq́; volabunt incita curſu.
Vos ſacri æterno celebrabunt carmine Vates,
Inter quos mea fòrs olim, quæcunq;, legentur,
Quæ vobis iampidem animus componere geſtit.
Intereà ad te nunc redeo Seripande, tuasq́;
Egregias laudes, atq; inclyta geſta canendum.
Tu tibi commiſſa nunquàm procul vrbe moratus
Magnificum duxti, ac tanto te Præſule dignum,
Cuſtodire gregem coràm, atq; arcere luporum
Incurſus, & oues cæleſti nectare, ſancta
Doctrina, puræq́; exemplo paſcere vitæ.
Te Paſtore tuis ouibus non pinguia deſunt
Paſcua, & à nitidis manantes fontibus vndæ.
Omnia ſuccedunt felicia: nulla tuarum
Te Paſtore ouium caro procul errat ouili,

Quæ Pius aſpiciens ſummus pater, ætheris alti
Ianitor, accerſit Romam, Procerumq; cooptat
Magnorum in numerum, diues quos purpura veſtit,
Exornatq; tuum roſeo caput ipſe galero.
Mox & Diuorum monitis fatalibus actus,
Dum cupit exortos Fidei ſedare tumultus,
Et res afflictæ Europæ componere tandem,
Concilium indicit ſacrum, celebratq; Tridenti:
Teq; illuc proprio legatum nomine mittit.
Sed me, ne reliquas laudes, tuaq; inclyta facta
Proſequerer, mea Sors dura, et dolor improb⁹ egit.
Parua erat inſigni forma ſoror, indole rara:
Quam natura parens mira efformauerat arte,
Cunctaq; præbuerat cumulatè, atq; oris honore
Aequales omnes dederat ſuperare puellas.
Inuidit Mors, & primis hanc abſtulit annis,
In luctus, atq; in lacrymas mea gaudia vertens.

MARIO CARRAFAE,

NEAPOLITANORVM ARCHIEPISCOPO

ECLOGA PRIMA.

OLYMPIAS.

GERMANAE extinctæ fatum deflebat Amyntas,
Atq; has infelix iactabat ad aſtra querelas.
Tu verò iuuenis Carrafæ gloria gentis,
Quo nunc Parthenope felix Antiſtite tanto
Exultat patria, ac meritos iam ponit honores,
Huc adſis, humilemq; MARI ne deſpice Muſam.
Tempus erit cùm te grauiori dicere plectro
Aggrediar: fratremq; tuum, qui maximus inter
Paſtores Italos tam dulcia carmina noſtris
Concinit in ſiluis, vt Muſæ Helicone relicto,
Sebethi fluuij, tumulum qui propter amatæ
Sirenis fluit, ac placido ſubit æquora curſu,
Antra colant, nec ſe paruo contingere fonte
Illius allectæ mira dulcedine cantus
Erubeant Nymphæ ſummi Iouis alma propago.
Intereà tenues calamos ne deſpice Amyntæ,
Qui ſic per noctem crudelia fata ſororis
Plorabat miſer, ac tales dabat ore querelas.

AM. Nunc agite ô Vatũ adſitis pia numina Muſæ,
Ac primùm mæſta crines incingite fronde
Lugubri taxo, vel ferali cypariſſo:
Flenda mihi mea dulcis Olympias, vnica flenda
Lux mea, delicium miseræ, & ſolatia vitæ.
Quæ te cara ſoror duri vis aſpera fati
De noſtro auellit complexu? quisùe Deorum
Exactis nondum alterius trieteridis annis
Præripit? immeritámq; domum funeſtat atroci
Tam ſæuus clade, atq; adimit tot gaudia fratri?
An Venus inuidiæ ſtimulis agitata malignis
Amplius in terris vetuit producere vitam,
Diuinæ aſpiciens in te præſagia formæ?
Fraudibus an ſublata iaces Iunonis iniquæ?
Quam dicunt cælo media deſcendere nocte,
Cùm feſſos hominum dulcis ſopor alligat artus,
Et quascunq; videt forma præſtante puellas,
Perdere nescio quo miſeras medicamine tactas?
Quicunq; ille fuit Superûm crudelis, & omni
Surdior ille fuit ſcopulo, atq; immanior hydro.
Quem nequijt blando mea dulcis Olympias ore
Flectere, ego hunc ipſas etiam ſuperare leænas
Crediderim nimia feritate, & vincere tigres.
Adde quòd & queſtus miſeræ, lacrymæq; parentis
Prædurum quoduis potuiſſent flectere ſaxum.
Vt tu cara tamen conſtanti pectore mortem
Es perpeſſa ſoror; non fletibus ora rigaſti,

Et cùm frigida mors nitidos properaret ocellos
Claudere, teq́; parens infelix fleret ademptam,
Tunc quoq; conata es riſu ſolarier ægram,
Tergereq́; illius rorantia lumina dextra.
O ſemper funeſta mihi nox, atraq́; ſemper,
Omnia qua noſtræ perierunt gaudia vitæ,
Deliciæq́; omnes animi, & mea ſumma voluptas:
Cara ſoror, dilecta ſoror, lux vnica fratris.
At miſer intereà patria procul vrbe moratur,
Trinacriamq́; omnem genitor perluſtrat, opesq́;
Accumulat, magnamq́; parat tibi tradere dotem,
Felicesq́; animo tedas, & dulcia versat
Connubia, effingitq́; tua de ſtirpe nepotes.
Feciſti moriens omnem ſpem patris inanem,
Hei mihi amata magis propria ſoror aurea vita,
Ecquis te nobis, ecquis tam durus ademit?
Nunquámne aſpiciam poſthac? ô ſi mihi Diuûm
Nunc aliquis miſerã daret hanc abrumpere vitam,
Vmbra vmbram ſequerer, nõ abs te auellerer unq̃;,
Siue habitanda foret tellus, ſeu lucidus æther,
Vnà illic eſſem tecum; & ſi fata iuberent
In quoscunq; alios deſcendere corporis artus;
Te vel ſubter aquas pelagi comitarer, & infrà
Tellurem: nobis eadem mens, ſpiritus idem.
Aut ſi iam nihil amplius es, nec corporis vlla
Poſt obitus leuis vmbra manet, ſenſusúe priores,
Mortuus ipſe tua ſaltem nil morte dolerem.

Nunc circùm dulcis tua ſemper oberrat imago,
Cogit & ex oculis largos effundere fletus:
Nec cùm purpureo Sol veſtit lumine mundum,
Nec cùm nox atra inuoluit caligine terras,
Abſcedit; defeſſa leui & cùm lumina ſomno
Clauduntur, mecum illa manet, ſolatur & ægrum:
Illa facit quòd non morior, ſi linqueret illa,
Actutum deſiderio confectus obirem.
Sed iam nox abit, Eoo & de litore Phœbus
Purpuream profert lucem, radiosq; micantes:
Sit tandem finis lacrymis, mæſtoq; dolori.
Imò agite ô magis atq; magis mea lumina flete,
Et cùm Sol pater Eoo de litore lucem
Purpuream profert, & cùm nox aduenit atra,
Perge dolor, dulcesq; iocos, riſusq; ſororis
Sæpiùs in mentem reuoca, meminiſſe iuuabit.

ECLOGA SECVNDA EPICEDIVM.

LYCIDAS, AMYNTAS.

QVIS tibi tam pulchros calamos dedit? an Meliſeus?
AMY. O Lycida nondũ genitrix me dulcis in auras
Ediderat, cùm mors Meliſeum ſuſtulit atra,
Nec mihi tam celebrem licuit vidiſſe pöetam,

Verùm quos cernis calamos mihi tradidit olim
Vranius, qui me magno dilexit amore.
LYC. Vis igitur, dum ſol medio nunc æthere feruet,
Hîc mecum recubans Lauri frondentis in vmbra
Tu canere Vranij laudes? ego Phyllida dicam.
AMY. Id mihi pergratum eſt, illo nec dignior alter
O Lycida, longum noſtro qui carmine viuat.
LYC. Tu prior incipias: quoniam tibi grandior ætas,
Nec tibi ſe quiſquam poßet conferre canendo.
AM. Nymphæ vos Nymphæ magni Iouis alma ꝓpa-
Quas ego ſũ sẽper teneris veneratus ab annis, (go,
Huc precor adſitis faciles, vt dulcia nobis,
Atq; hoc, quem canimus, cõtingant carmina digna.
LYC. Tuq; ô qui mundum radijs lucentibus ornas
Phœbe decus cæli, pulcherrime Phœbe Deorum,
Nunc precor aſpira nobis, & carmina dicta,
Quæ valeant nigræ ſubducere Phyllida morti.
AMY. Vranium poſtquàm noſtris in montibus olim
Auſonias inter genitrix pulcherrima Nymphas
Edidit, aſpexitq; puer noua lumina ſolis,
Parnaſſum Musæ, Pindi iuga liquit Apollo.
LYC. Et mea cùm Phyllis nitidas egreßa ſub auras
Incœpit caram riſu cognoſcere matrem,
Lætitia colles exultauêre propinqui,
Alma Venus Cyprum, Pallas Dea liquit Athenas.
AMY. Vranio dulcem Phœbus donauit auenam,
Quam ſimul admouit labris, cecinitq; ſub alta

Illice quæ puer Aoniȷs didiciſſet in antris,
Obſtupuêre Deæ Parnaſſia rura colentes.
LYC. Et mea cùm Phyllis vires cantaret Amoris,
Horrida compoſiti tenuerunt murmura venti,
Ac circùm latè ſiluit maris æquor, & omnis
Ludebat placidas Nerëia turba per vndas.
AMY. Vranius cæli curſus, & ſidera nouit,
Et quæ prætereà ſint frugibus apta ſerendis
Tempora, & in varias formas contexere citros,
Et quo quæq; modo plantari debeat arbor.
LYC. Immundā ſcabiem teneris depellere ab agnis,
Pulſantemq; pedis didicit pertundere venam;
Nullaq; per ſummos oriuntur gramina colles,
Quorum virtutes non nouerit optima Phyllis.
AMY. Vranius validis ſuperabat viribus omneis
Paſtores Italos, nec fortibus horruit vrſis
Pugnando toties, aut comminus ire Leoni:
Ipſe vel in noſtris ſiluis erat alter Orion.
LYC. At Phyllis timidos iaculis præfigere ceruos,
Doctaq; currendo celeres comprendere damas,
Venari aſſuêrat metuendos dentibus apros,
Dyctinnamq; animo referebat, & ore Dianam.
AM. Et nunc Vranius nihil eſt, tamq; optimus atræ
Occubuit morti paſtor, Phœbiq; ſacerdos,
Deq; illo ſolus ſupereſt cinis; vmbraq;, circùm
Quæ tumulum ſemper volitat, nec cernitur vlli.
LY. Phyllis et ipſa nihil, nihil eſt mea cādida Phyl-
(lis

Amplius, ô nimium crudelia ſidera, Phyllis,
Cuius amore homines, ac Dij periêre, ſepulta eſt,
Nec potuit duri vires euadere fati.
AM. Ergo agite ô ſi qua eſt pietas in montibus ulla,
Vranij nomen cæli ſuper aſtra feramus,
Vranium veneremur, & omni tempore ſacram
Illius varijs ornemus floribus vrnam.
LYC. Et vos ô Nymphæ ſummi Iouis inclyta proles,
Queis hominem datur è Stygijs auferre tenebris,
Linquite nunc veſtras Pindi nemora ardua rupes,
Phyllidaq; aſſiduo celebremus Phyllida cantu.
AMY. Sint ſatis iſta puer Lycida, tibi namq; per ora
Incipiunt magni lacrymarum currere riui:
Iamq; ſuam Phœbus cupiens inuiſere Thetyn
Diſcedit cælo ſenſim, noſtræq; vagantur
Huc illuc fuſæ nullo cuſtode capellæ.

PLACIDO SANGRIO, CAMEROTAE REGVLO ECLOGA TERTIA.

AMYNTAS.

SANGRI patriciæ gentis decus, optime Sangri;
Quē Mauors formidat, amat Tritonia Pallas,
Huc ades, & mecum paulùm requieſce ſub vmbra
Gratorum nemorum, placidaq; in valle virentis
Pauſilypi, qua ſol nunquàm ſurgensúe, cadensúe

Permeat, in medio nec cùm furit acer Olympo.
Hic ego poſt obitum Iouiani vatis, & Acti
Sinceri, dulcem Siculi paſtoris auenam
Experiar teneris audax inflare labellis:
Atq; mei nitar ſic pellere pectoris æſtus.
Huc ades, & quæ olim magno ſuccenſus amore
Has inter ſiluas iuuenis cantabat Amyntas
Accipe tu cura Aonidum placidiſſime Sangri.
Quæ nemora? aut quisnã paſtor nõ nouit Amyntã
Dilectum Phœbo iuuenem? cui tempora Nymphæ
Theſpiades viridi quondam cinxêre corona?
Et quod non multis paſtoribus obtigit antè,
Luſtrarunt ſacra Permeſſi fluminis vnda?
Hunc tamen inſano torquebat amore puella,
Sed non ipſe ſuas illi recludere curas
Audebat miſer; huc tantùm veniebat, & inter
Has valleis, cantu ſic ſolabatur amorem.
AMY. Depereant alias alij, foueantq́; puellas,
Vna meo ſemper dulciſſima Siluia cordi
Hærebit, non me mulier potis amplius vlla
Irretire nouis vinclis, aut vrere flammis.
Deuinctum tenet vna ſuo me Siluia nodo,
Siluia perpetuis exurit viſcera flammis:
Nec pote diſſolui nodus, quo vincior, vnquàm:
Nec, quo perpetuò exuror, reſtinguier ignis.
Hoc nodo iuuat innecti, hoc iuuat igne cremari.
Non ſi deſcendat ſummo Venus aurea cælo,

Meq; ſibi, vt quondam iuuenem, cui candida durus
Inguina rupit aper, magno coniungat amore,
Deflueret noſtro mea dulcis Siluia corde.
Non ſi me liquidis Galatea vocaret ab vndis,
Aut quæ Theſſalico fertur commiſta marito
Magnanimũ peperiſſe Ducem, qui Pergama Troiæ
Diruit, æquauitq́; ſolo Priamëia regna.
Non ſi qua eſt alia in toto pulcherrima ponto
Me ſibi vel precibus poſſet, vel flectere donis.
Deuinctum tenet vna ſuo me Siluia nodo,
Siluia perpetuis exurit viſcera flammis.
Atq; ô ſi quiſquam ferat hæc illius ad aures,
Meq; fero ſenſim tabescere dicat amore:
Forſitan illa ſui tandem miſereſcet amantis:
Nam neq; præruptis orta eſt in cautibus Hæmi,
Caucaſeisúe iugis, illam nec nutrijt vrſa:
Sed noſtris orta eſt in collibus inter odoras
Myrtos, atq; inter Citros, lauroſq́; comanteis.
Omnia riſerunt illa naſcente, quiêrunt
Aequora, nec ſiluas excuſſit mobilis aura
Ventorum, dulci lætantes gutture pictæ
Cantarunt volucres, tellus dedit vndiq; flores.
Dulciaq́, infanti pia præbuit vbera mater.
Et ſi fas animi occultos prædicere mores
Cuiuſquam ex facie, non eſt mea Siluia dura,
Non eſt; ſed Siculæ mage dulcis nectare cannæ,
Hyblæisúe fauis. facies illa æthere digna

Eſſe ferox poterit? non (ſic Pan adiuuet) illa
Forma tegit crudelem animũ, mentemq; rebellem.
Eſſet enim ſimile oſtento, ſi pulchra puella,
Quæ non humano videatur ſanguine nata,
Vna ſed illarum potius, quas occulit æther,
Dura ſuo iuueni foret, aut crudelis amanti.
Quin igitur nunc ad dominæ me limina duco?
Atq; meos illi præpando pectoris æſtus?
Vt miſer in lacrymas abeam quo tempore primùm
Ipſam cum cara genitrice rubentia fraga,
Et violas tenero carpentem pollice vidi,
Vidi, atq; exarſit ſubito mihi pectus amore.
Vt licet in lacrymas abeam miſer, haud tamen ignis
Tan illum pote reſtingui, ſub pectore noſtro
Qui latet, ac miſerum paulatim abſumit Amyntã.
Vt prædata meos omneis ſit Siluia ſenſus:
Hanc unam, cùm victa iacent mea membra ſopore,
Hanc vnam, cùm peruigilat mens ægra tuetur,
Hanc vnam videt, hanc vnam ſuſpirat, & ardet.
Addam; ſæpè tibi noſtros aperire labores
Optaui, & triſteis animi depromere curas,
Optaui; pudor, atq: metus tamen vſq: repreſſit.
Nunc tandem cordi immiſit Dea Cypria robur,
Atq; animos dedit, atq; audacem fecit Amyntam.
Quòd ſi non aliquid noſtri miſereris, opemq;
Affers, haud equidem tanto ſupereſſe dolori
Infelix potero: ſed vitam abrumpere cogar.

Meq́; vel in pontum ſummi de vertice montis
Proijciam, faciamq́; maris me piſcibus eſcam;
Vt quondam Sappho perijt: vel ab arbore funem
Suſpendens colla innectam, quod Phyllida dicunt
Feciſſe àh miſeram: vel acuto viſcera ferro
Perfodiam, Tyriamq́; obiens imitabor Eliſam.
Tu caue, ne noſtri dicaris Siluia leti
Cauſſa, ſed vltricē Nemeſim time, et aſtra tenētes,
In primis Venerem, natumq́; illius Amorem.
His precibus lacrymas addam, et quæ plurima nr̄o
Emanant calida adiungam ſuſpiria corde:
Forſitan illa preces faciles admittet in aures,
Ac ſibi me. ſed quid vana hæc mihi ſomnia fingo?
Vrbanam vilis paſtor tibi flectere Nympham
Poſſe putas? cui clara domus, cui plurima campi
Iugera ſunt noſtris in montibus? aurea dona
Si tecum ad dominam ferres, ſpes forſitan eſſet.
Nunc quoniam Fortuna inopem te fecit, & vnum
Ex his, qui paſcunt olidas per gramina capras,
Nobilium fruſtrà tentare cubilia noli:
Verùm hîc agreſtes potius ſectare puellas.

ECLOGA QVARTA LYDA.

TITYRVS, CORYDON.

SERVS ab vrbe redis Corydon, huc nuper Amyntas
Venit, & aligeri vires modulatus Amoris,
Impleuit noſtras mira dulcedine menteis.
COR. Illum ſæpe aliàs, cùm fortia facta referret
Paſtoris magni SANCTORI, audiuimus olim:
Atq; ita Pan facilis mihi ſit, cum Daphnide certat.
Verùm age, dum Zephyrus molli nos leniter aura
Perflat, & ardentes ſolis refrigerat æſtus,
Si recolis memorare velis ea Tityre nobis.
TIT. Omnia non equidē teneo: mihi namq; ſenectus
Iampridem cunctos cœpit peruertere ſenſus:
Pauca tamen referam, quæ mente recondita ſeruo.
Is poſtquàm viridi mecum conſedit in herba,
Dulcem quæ læui pendebat fiſtula collo
Inflans admouit labris, mòx talia cœpit.
Te formoſe puer canimus, quem pulchra Dione
Edidit Idalij quondam propè fluminis vndam,
Qui blandus facie licet, ac mitiſſimus ore,
Sæua tamen forti iacularis ſpicula dextra:
Atq; homines, Diuosq; feris, nec parcere cuiquam
Crudelis noſti: matrem quoq; ſæpiùs ipſam,
Quæ te te genuit, lunato percutis arcu.

Sed neq; bellipotens potuit tua vulnera Mauors
Effugere, & quamuis regat aurea Iuppiter aſtra.
Quin ipsum cogis varias aſſumere formas,
In quodcunq; tibi fuerit pro tempore viſum
Conuertens, cæloq; vocas ad Latmia ſaxa
Noctiuagam Phœben, oblitumq; ætheris alti
Lanigeras pecudes compellis paſcere Solem.
Cetera ſed prorſus ceciderunt carmina mente.
COR. Aſt ego, ſi gratũ eſt, referã tibi candide paſtor
Quæ ſola in ſiluis quondam pulcherrima Lyda
Effudit, flauo inſignis cùm crine Lycotas
Liquiſſet miſeram patrias reuocatus ad oras.
Illam non Zephyri ſpirantes molliter auræ,
Non vitreis Sebethus aquis, non tota Labulla
Accenſam poterant lenire, malosq; furores,
Illius aut animo ſæuas extinguere flammas.
Sed noctes ſimul, atq; dies has perdita ſecum
Multis cum lacrymis mœſto dabat ore querelas.
Quis te Sebethi dulcis puer amne relicto
Extremi fontes inuiſere iuſſit Iberi?
Tu ſolitus mecum molli recubare ſub vmbra
Pauſilypi ſemper viridis, nemorumq; ſacrorum,
Et lætas Veneris per gaudia ducere noctes,
Nunc miſer àb longinqua puer loca quærere ſolus
Cogeris, & noſtris terris inuitus abeſſe.
Forſitan & nunc irrorans tua lumina fletu
Sæpe vocas me, ſed fruſtrà: nam diuidit ambos

Hoc tantum cæli ſpatium, terræq; mariſq;.
Me miſeram quàm ſæpe ſolet breuis eſſe voluptas,
Munere ſi qua Deûm mortalibus aduenit ægris.
Credideram me felicem, iamq; æthera ſummo
Vertice tangebam, fauſto quòd amore fruebar
Tam pulchri iuuenis: nunc omnia verſa repentè.
Debueram tunc ipsa mori, mors grata fuiſſet,
Cùm me complectens niueis puer ille lacertis,
Aſtringensq; arctè linguam ſugebat, & ora:
Nec mora, nec requies; donec reſoluta libido eſt
Omnibus è membris, & nos dulcedine mira
Concidimus perfuſi ambo. tunc pectore ab imo
Saucia amore mihi ad labias anima vsque cucurrit,
Et niſi ſe noſtris ſubitò explicuiſſet ab vlnis,
Aegra anima hæc roseos tranſiſſet in illius artus:
Atq; ego nunc agerem dilecto in corpore vitam.
Talia cum lacrymis fundebat carmina Lyda.
TIT. Dulcia ſunt Corydon, & tanto plena lepôre,
Vt mihi vel gelidum poſſint accendere pectus.
Verùm age, quandoquidẽ nigris comitata tenebris
Nox ruit Oceano, atq; ingentes explicat alas,
Surgamus; noctis multum ſolet aura nocere.

IN FVNERE ALFONSI
CARRAFAE CARDINALIS
PARTHENOPES LACRYMAE.

ALFONSVM primo ereptum ſub flore iuuentæ
Parthenope ut tãdem genitrix mœſtiſſima vidit,
Qualis erat laniata genas, laniata capillos,
In medium ſeſe tulit, & complexa feretrum
Cum fletu incepit tales effundere voces.
Quid dicam? quóue infelix me denique vertam?
Quæ tantis oppreſſa malis nihil amplius vſquàm
Aſpicio, quod me lætam iam reddere poſſit?
Nam tot vt inſignes natos, quos impia dudum
Mors rapuit, ſileam; tanto ſolabar alumno,
Qui ſuper vnus erat miseræ, infortunia noſtra.
Quem, niſi tam ſubitò rupiſſent ſtamina Parcæ,
Sperabam fore qui toto applaudente Senatu
Romuleas arces regeret, Petriq; ſederet
Sublimi in ſolio, venerandus & omnibus vnus
Iura daret; cui depoſito diademate Reges
Cum ſceptro, ferrent proni blanda oſcula plantis.
Et meritò: namq; illuſtri ſi ſanguine cretus
Inueniendus erat, tantæ qui pondera molis

Suſciperet, fuerat non hoc illuſtrior alter.
Aut ſi qui clarus diuini dotibus eſſet
Ingenij, teneriſq; animum formaſſet ab annis
Artibus egregijs, miro & Virtutis amore
Flagraret, non æquales modò vicerat omneis;
Verùm etiam natu maiores, quoſq; ſenectus
Crebra impendentis terret formidine mortis.
Quæ porrò inuidia ô Superi? cæleſtibus oris
Nonne ſatis fuerat, Patruus quòd maximus huius
Heros iampridem redijt mea gloria Paulus?
Quòd meus irradiat Seripandus in æthere puro?
Hunc etiam iuuenem rapitis florentibus annis
O Diui, atq; huius confunditis omnia morte.
Tu verò iuuenis felix, qui munere vitæ,
Quantulacunq; fuit, defunctus; totq; periclis
Exhauſtis, ſummus quò te vocat arbiter, ibis:
Scilicet & nitidi fies nouus incola cæli.
Illic Pontificum magna ſtipante caterua
Paulus cum claro Seripando erit obuius vnà,
Et læti accipient venientem, atq; oſcula figent.
Sic pia Parthenope dilecti funera nati
Multo cum gemitu, & lacrymis plorabat obortis,
Inuiſamq; Deis ſe ſe, miſeramq; vocabat.

AD

AD PETRVM VICTORIVM

EPISTOLA I.

SErmonis Graij, et Latij
clariſſime Vindex
Victori, quē Pierides
mea numina Nymphæ
Suſpiciunt meritò, &
Phœbꝰ venerāt Apollo,
Hæc legiſſe velis, ſi
tantum ſuppetit oti.
Nam quæ vaticinās Se-
ripandus maximꝰ olim
Ipſe mihi dixit, referam tibi: tuq́; vicíſſim
Hæc alijs porrò atq; alijs ediſſere multis,
Tanti ut dicta viri Auſoniam ſint nota per omnem,
Atq; ipſa in primis intelligat aurea Roma.
SER. Italiæ cladem ingentem, atq; aſperrima bella
Proſpicio, multaq́; tremit formidine pectus:
Nam prauos mores, & plusquàm ferrea cerno
Secula: iamq́; Deûm cæleſtia templa reuiſens
Alma Themis longè noſtris diſceſſit ab oris.
Non eſt qui rectè ſe ſe gerat, omnia praua.
Ergo iram differre vltrà nequit ætheris auctor;
Sæuiet, ac tantos precibus placare furores
Non poterunt caſti pueri, caſtæq́; puellæ,
Si modò ſunt caſti pueri, caſtæq́; puellæ.

Nam ſimul in lucem veniunt, ſcelerata parentum
Exempla accipiunt, teneris imitantur ab annis:
Et nato exitium pater eſt, ſunt iamq́; reperti
Qui pulchras (dictu infandum) ſua pignora natas
Suppoſuêre ſibi, veriti nil numina Diuûm.
Mater & ipſa ſui correpta libidine nati,
Quem genuit cupidis arctè complexa lacertis
Prima virum fecit, parteſq; admiſit in illas:
Vnde olim egreſſus vitæ ip[illegible]uit in auras.
Fœda alia vt ſileam, quæ ne Di cernere poſſent,
A noſtris auerterunt ſua lumina terris,
Inq; Aſiæ populos, atq; vltima Bactra tulerunt.
O ſi quis pudor eſt, tandem reſipiſcite pulchram
Quicunq; Auſoniam colitis, ſcelerumq́; priorum
Pœniteat, veniamq́; Deos orate ſupinis
In cælum manibus, lacrymiſq; per ora profuſis:
Forsan ſupremi placabitur ira Tonantis.
Vos verò Chriſti niueos qui paſcitis agnos
Sanguine quæſitos multo, ingentiq́; labore,
Conniti decet orando, vt cœleſtia Diuûm
Numina flectatis precibus: vos namq; ſequeſtres
Omnipotens hominum poſuit, tum claudere cæli
Si libeat, clauſoſq; dedit recludere poſteis.
Heu quiánam Superûm contemnitis inclyta dona?
Voſq; & cælicolis ſimul, & mortalibus ipſis
Redditis inuiſos impuræ ob crimina vitæ?
O turpes quæſo tandem deponite mores,

Ingluuiemq́;, et auaritiam, Veneremq́; nefandam,
Sacrorumq́;. pudor prohibet ſed dicere plura.
Heu quibus hæc oculis ſummo videt æthere Chriſtus?
Qui vitam reliquos exemplo effingere veſtro,
Ac vos in totum lucem dare iuſſerat Orbem?
Sed vereor ne ſint fruſtra mea verba, neq; vlli
Intellecta cadant rapidis ludibria ventis.
Namq; Deûm monitis omnes occluſimus aures
Aſpidis in morem, vitæ nec pœnitet actæ.
Ergo nos iuſta excandens Rex ætheris ira
Deſeret, extremosq́; ſibi Garamantas, & Indos
Eliget, atq; illis latè terraq́;, mariq́;
Proferre imperium, fors & dabit Itala regna.
Prodigijs monet. an nuper non vidimus ipſi.
Vt Libycis oris tumidas inuecta per vndas
Se noſtra appulerit non fauſto ſidere Claſſis?
Aduerſisq́; Deis pugnauerit? æquor, & ipſæ
Noſtrorum latè rubuerunt ſanguine Syrtes:
Semineceſq́; viros, defunctaq́; corpora bello
Immanes alto ederunt ſub gurgite Phocæ.
Tunc etiam miſeræ Italiæ flos occidit omnis,
Quotquot & extremis Hiſpania miſit ab oris
Aut animas medio fuderunt turbine belli,
Aut ſi quos voluit Fortuna euadere, multa
Compede deuincti dominis ſeruire ſuperbis
Coguntur miſeri, & lucem indignantur amaram.

AD D. PAVLVM ARETIVM EPISTOLA II.

PAule Deûm quandò monitis cæleſtibus actus
Abiectis opibus vanis, & honore relicto,
Præclarè fueras noſtra quo functus in vrbe,
Te totum Superis ſincero corde colendis
Addixti, & ſanctam tranquilla per otia vitam
Caſtis cum ſocijs, idem quos excoquit ardor,
Traducis clauſtri incluſus viridantibus hortis:
Quo te propoſito nequijt deflectere quiſquam,
Non Rex ipse, tuum quamuis optauerit vltrò
Inſigni toties caput exornare tiara;
Cur non præ reliquis dicam mortalibus eſſe
Te magis acceptum Superis? magnoq; Tonanti?
Et vera in terris ſolum te gaudia noſſe?
Namq; age rem quæſo mecum perpende, qs vsq; eſt,
Quem meritò poſſis felicem dicere in Orbe?
Quamuis ſit diues, quamuis ſit ſanguine clarus,
Et pulchrum facie Narciſſum, aut Nirea vincat?
Secum diuitiæ quoniam mala plurima ſuerunt
Afferre, ærumnasq; graues, gelidosq; timores:
Atq; illuſtre genus nihil eſt, ſpeciesq; decora
Præterit, & ſpatio exigui consumitur æui.
Quo fit, vt Auſtriadum quamq; de ſtirpe Philippus
Sit genitus, latè & multis Rex imperet oris,
Dicendus non hoc ipso ſit nomine felix.
Soli namq; Dei felices, & quibus illi

Non inuiderunt tantum decus æthere ſummo.
Hi verò ſunt, infracto qui pectore fluxas
Contemnunt res, quas hominum ſtupet inſcia turba:
Qui nihil extremo aduectos Oriente lapillos,
Magnificasúe domos curant, aut grandia rura,
Oris & egregij formam, & quod triſtia corda
Vix hilarare poteſt miſeris mortalibus aurum,
Quamuis in tenebris velut ardens fulgeat ignis.
Aſt æterna, quibus valeat vis nulla nocere,
Quæq; homines poſſunt poſt funera nigra beatos
Reddere, ſuſpiciunt magnorum dona Deorum;
Virtutem vel præcipuè, qua pulchrius alto
Aethere mortales nihil accepiſſe putandum eſt.
Verùm hi ſunt nimium pauci, nimiumq; repertu
Difficiles hac in primis ætate per Orbem:
Quos inter cùm ſis meritò numerandus & ipſe,
Nunc te felicem dicam, poſt fata beatum.

AD MARIVM CVRTIVM IO. ANDREAE REGII CONSILIARII FILIVM EPISTOLA III.

QVA me ſorte putem cæli prodiſſe ſub auras
Infelix, cui cuncta cadunt contraria vota?
Quodq; magis miſerum, nequeo dulciſſime Curti
Vanis poſthabitis rebus, vulgoq; relictis,
Inconſtans Fortuna ſuo quas iure gubernat,

In portum me me, et placidam transferre quietem.
Nam quoties ventis commiſi vela ſecundis,
Iamq; manu portum teneo, Sors inuida flatu
Spirans aduerſo retrahit, vertitq; carinam.
Decrêram me Pauſilypi ſub colle beato
Occulere, atq; illic Sophiæ florentibus hortis
Abditus obſcuras naturæ quærere cauſſas.
Qua mundum ratione opifex componere primùm
Aggreſſus, rerum ſiluam formarit; & illa
Iunxerit inter ſe miris elementa figuris.
Quoue modo vis illa animi per cærula ponti
Aequora, telluremq; imam, perq; aëris oras
Diffundat ſe ſe, & cunctis naſcentibus vna
Inſinuet, vitæ præbens dulciſſima dona.
Quæ cauſſa efficiat ventos, gelidamq; pruinam,
Labenteſq; polo ſtellas, diroſq; Cometas,
Fulminaq; & ſummis venientes nubibus ignes.
Mox etiam ſacro Muſis Helicone vocatis
Diuorum laudes canere, atq; illuſtria facta.
Cùm ſubitò aduerſo cœpit Sors inuida flatu
Perflare, & ſe ſe noſtris opponere cœptis.
Ac primùm dulcem eripuit mihi ſæua ſororem,
Mox etiam caræ percuſſit funere matris,
Lætitiaſq; animi miſero mihi ſuſtulit omneis,
Omnia in æternos conuertit gaudia fletus.
Et ne Muſarum ſtudijs ſolarier ægrum
Poſſem animũ, aut triſteis vnquàm deponere curas,

Litibus implicuit varijs, ſacroq; relicto
Parnaſſo, clamoſa fori me iurgia cogit
Inſuetum, rixasq; pati, inſanosq; tumultus.
Scilicet & caro me cedere cogit agello,
Quem mihi de villa Sinceri in collibus alti
Pauſilypi, quà cæruleis caput exerit vndis
Nympharum ſedes pulcherrima Mergillina,
Perpetuo cenſu conduxi, vbi dulcibus ægrum
Solarer ſtudijs animum, vitæq; laborem.
O pereat quisquis lites inuenit in Orbe,
Ac tantum miſeris mortalibus intulit ignem.
Illeq; diſpereat, commoti & numinis iram
Sentiat, vt pectus gladio transfoſſus acuto
Det canibus laniandá, auibusq; rapacibus exta,
Qui nunc me immeritò vexat, meaq; otia turbat
Improbus, & ſacrum nihil horret lædere Vatem.
Quò progreſſa hominum eſt audacia? cuncta licere
Cauſſidici ſibi in vrbe putant, clariſſima quæq;
Oppugnant, leges inuertunt, candida nigra
Efficiunt, neq; (prô dolor) eſt qui talia curet.
Quid faciam? quò me miserũ nunc denique vertã?
Obnitar potius Fortunæ? an ſponte, volensq;
Illius imperio ſubmittam libera colla?
Meq; trahi patiar? nam quid dulciſſime Curti
Luctari prodeſt, ſi nunquàm vincere poſſis?
Non ita: ſed me me potius contemnere duram
Ipſe tuo exemplo impelles, & vincere Sortem.

Nam licet illa tibi dulcem puerilibus annis
Abſtulerit lucem, ſolemq; aſpexe negarit,
Cùm tua perpetua concluſit lumina nocte:
Corporeas tamen ipſe animi ſplendore coruſco
Tranſcendens tenebras, mẽtemq; ad ſidera tollens,
Feciſti culto eloquio, vt iam cernere lumen
Incipiant iuuenes alij, dum dogmata ſacræ
E nodis Sophiæ implicita, atq; indagine mira
Naturæ arcana è penetralibus eruis imis,
Et cæcam cæcus ſuperaſti denique Sortem.

AD VINCENTIVM CARLVTIVM MAXVM EPISTOLA IIII.

Quid ſint aſtra, ſuo terrã quę lumine cõplẽt,
Quóue ea principio conſtent, numerumq; viasq;
Illorum, curſusq; omnes ſimul, atq; recurſus,
Atq; adeò quid quæq; ferant mortalibus ægris,
Optares Carluti agnóscere. maxima certè
Quæ petis, ac longè humanum ſuperantia captum.
Iudicio tibi ſit varius conſensus, & vna
De re tam diſcors ſententia, ſeditioq;
Quos vulgò appellant Sapientum magna, diuq;
Inter ſe ſe agitata. alij nam dicere ſtellas
Læuibus ex atomis ortas, ut cetera quæque:
Ex igni genitas alij contendere, ob idq;
Lucere, ac toto tẽnebras depellere mundo,

Ex miſtura alij primorum principiorum,
Quæ dicunt elementa, volunt conſtare; Deumq;
Ipsum cùm faceret mundum, ſumpſiſſe liquoris
Particulam, terræq;, atq; aëris, & leuis ignis,
Atq; his commiſtis cælum, cæleſtiaq; aſtra
Feciſſe, & motu aſſiduo iuſſiſſe cieri.
Non dubitant alij ex elementis facta negare
Sidera, & antiquos gaudent inceſſere dictis.
Namq; eſſe ingenitum cælum, cursuq; fatentur
Perpetuo impelli in gyrum, nullumq; fuiſſe
Tempus, cùm cæli non dum lucentia ſigna
Orta forent, puroq; ornarent lumine mundum.
Ergo effinxerunt quintam quam nomine dicunt
Naturam, conſtare volunt qua ſidera Olympi.
Sed clarè nobis ea quid ſit, dicere porrò
Non audent, nigraq; inuoluunt omnia nocte.
De numero aſtrorum poſſem vulgata referre:
Verùm ea ſunt etiam nobis incerta, nec ipſi
Inter ſe benè conueniunt qui talia primi
Inuenêre. quod hanc dederint producere vitam
Si mihi cælicolæ, ſerò & mors venerit atra,
Oſtendam, multumq; illos errare docebo.
Principiò ſeptem finxerunt æthere ferri
Errantes ſtellas: quarum quæ proxima terræ eſt,
Inuehitur niueis Phœbe Latonia bigis:
Hanc ſequitur Maia genitus Cyllenius ales:
Inde ſuos peragit curſus Venus aurea cæli

Aeternum decus, atq; hominũ, Diuumq; voluptas.
Ipſe autem Sol auricomus, Sol lucis origo
Per medios tractus volat ætheris, omniaq; almis
Colluſtrat radijs: hunc iuſtà Marſpiter orbem
Poſſidet, armorum ſtrepitus, atq; impia bella
Cui cordi, ac tela humanum effuſura cruorem.
Exin felici ſpectat mortalia vultu
Iuppiter: extremo friget Saturnus in orbe
Pallidus, & tarda incedens veſtigia firmat.
Hos dicunt motu aduerso, contraq; ſupremam
Conniti ſphæram, occidui de partibus orbis
Tendere ad Eoos itiner, Nabatheaq; regna:
Mox iterum retrò rapidos conuertere curſus,
Occiduasq; plagas, iterumq; reuiſere fonteis
Tethyos Heſperiæ, ac certo poſt tempore tandem
Quemque ſuam niſu obliquo contingere metam;
Terdenis Saturnum annis, quam Iuppiter almus
Biſſenis currus agitans biſſena per aſtra
Aſſequitur; belli Deus, armorumq; repertor
Mars iter inceptum binis determinat annis.
At Phœbus, Phœbiq; comes formoſa Dione,
Et qui Diuorum celeres fert iuſſa per auras,
Curſu penè pares incedunt paſſibus æquis:
Terdenis metam contingit Luna diebus.
Hos ſuper Octauam ſphæram poſuêre, ſupremam
Quam vocitant; quia cuncta ſuo complectitur orbe.
Huic æterni aſtrorum ignes, quos nocte videmus

Scintillare, atq; huc tremulas demittere flammas,
Infixi ſunt, & multa vi firmiter hærent:
Quales in tabula nodi; nitidiq; lapilli,
Sapphyruſúe, adamaſúe ſolent, ardenſúe pyropus
Anulo ineſſe, faber mira quem condidit arte
Ex auro, & caræ donum dedit eſſe puellæ.
Ipſa autem mira rapitur vertigine ab ortu
Solis in occaſum viginti quatuor horis,
Atq; alias omnes ſecum trahit incita ſtellas.
Quisnám hæc aſpexit? qs in ætheris ardua tẽpla
Aſcendit? nobisq; ea ſingula rettulit vnquàm?
Et tamen ac ſi oculis vidiſſent, omnia certò
Affirmare audent, inſani ac mentis egentes;
Limitibus mundum proprijs arctare, Deoq;
Immenſo leges etiam præſcribere tentant.
Quid verò de illis referam, qui occulta Tonantis
Conſilia ex alto iactant ſe noſcere cælo?
An non purgandi helleboro? digniq; capiſtro?
Qui, benè cùm nondum conſtet natura polorum,
Quidúe ea ſint, pulchro illuſtrãt quæ lumine mũdũ;
An motu incerto magnum per inane ferantur,
Id quod Democritus dixit, doctusq; Epicurus;
An certa æternùm voluantur in æthere lege,
Sicut Ariſtoteles ſenſit, quem Græcia magnum
Edidit in terris, atq; admirabile monſtrum,
Et Ptolemæus, & Aßyrij, lateq; fluentis
Accola gens Nili, fertur quæ prima repoſtas

Quondam oculis luſtraſſe domos radiantis Olympi;
An potius ſtellæ nullis diſcurſibus errant,
Atq; (vt plerisq; eſt viſum) terra ipſa mouetur,
Diſcursuq; agitur vario, & nos fallimur ipſi,
Non aliter quàm cùm portu diſſoluimus oram
Cæruleum picta volitantes puppe per æquor,
Litoraq;, & portus incedere ſaxa videntur;
Cùm neq; ſtellarum numerus ſit certus, & aſtra
Plurima nos lateant; audent tamen ætheris audent
Influxus etiam varios, viresq; docere.
Hos age linquamus Carluti, maxima noſtræ
Pars animæ Carluti, atq; otia læta ſequamur
Muſarum, dulci modulantes carmina canna
Pauſilypi ſub colle, in amœno litore, vbi illinc
Mergillina ſuo ſuper aſtra euecta pöetæ,
Attollit caput, atq; illinc pulcherrima Siren
Deliciæ noſtri maris, & gratiſſima ſedes
Nympharum, medijs aſſurgit in æquoris vndis.
Hîc hîc cantemus Carluti, agilesq; choreas
Ducamus: tu præcipuè, quem dexter Apollo
Aſpicit, illa canas dulciſſima carmina, tigres
Quę valeant, nedum formoſam inflectere Nymphā.
Quis ſcit Carluti, ſi caræ ſtamina vitæ
Truncarit nobis cràs immitiſſima Chloto,
Et Stygiam triſtes cogamur adire paludem.

AD D. CONSTANTIVM SEBASTIANVM, MONACHVM OLIVETANVM. EPISTOLA V.

Conſtanti mage candide oloribus, atq; pruina
Hyberna, Chriſtiq; idem, Phœbiq; ſacerdos:
Quo monſtrante viam Graios accedere fonteis
Non dubitaui audax olim, ſacrumq; cacumen
Parnaſſi ſuperare, nouemq; videre ſorores,
Salue, & pauca mihi reſponde, & conſule porrò.
Noſti quàm malè cum Muſis hoc tempore in vrbe
Noſtra agitur, quàm peruersè, vt vix vnius eſſis
Sint ſtudia hæc; noſti, & mecum quoq; ſæpius olim
Fleuiſti ex animo patriæ infelicis acerbam
Fortunam. quis enim patriæ hoc in tempore duro
A largo cohibere queat ſua lumina fletu?
Parthenope iam Parthenope non amplius illa
Inclyta bellorum ſtudijs, ſtudijsq; Mineruæ,
Olim quam propè iam totus ſuſpexerat Orbis.
Hæc animo mecum reputans dulciſſime rerum
Conſtanti, decreui alijs traducere in oris
Quodcunq; eſt reliquum vitæ mihi. Romula ſemper
Ante alias omnes tellus arriſit, & altè
Inſedit mi animo, æquoreas vbi Tybris in vndas
Influit, & latè fœcundos irrigat agros.
Ac nunc præcipuè, Petri quòd maximus aureo
In ſolio dat iura Pius, quem rector Olympi
Mortales ſuprà reliquos hoc tempore nequam

Ornatum egregijs voluit virtutibus eſſe,
Aureaq́; in totum diffundere ſecula mundum.
Quòd mihi ſi tantum conceſſerit ætheris alti
Arbiter, vt Romæ contingat ducere vitam,
Siue futura breuis, ſiue eſt ea longa futura,
Tunc quoque cùm gelida defunctus condar in vrna,
Eſſe mihi felix, fortunatusq́; videbor:
Tantum Tarpæi collis mens ardet amore.
Sed tamen eſt durum Conſtanti linquere amicos,
Linquere dilectam matrem, caramq́; ſororem.
Eſt durum fateor: nam qui nihil hiſce mouetur,
Ferreus eſt, atq; Hyrcanis in montibus ortus.
Hæc pietas me ſæpè moratur abire volentem,
Cogit & inuitum patria conſiſtere terra.
Quòd ſi non animum blanda prece mater amata,
Ac dilecta ſoror fregiſſet, vosq́; ſodales,
Tuq́; adeò in primis Conſtanti, cuius amore
Non aliter teneor, quàm natus amore parentis,
Arcucius certè patria procul eſſet ab vrbe.
Nunc optare mihi ſolum datur, atq; beatos
Appellare, quibus Romæ licet eſſe, moriq́;.

FABII IORDANI IVRECONSVLTI Neapolitani.

DVM radios Sol, imbrē Iris, flammasq; Cupido,
Dum ſtragem in ſiluis Delia tela dabunt:
Arcuci Aonidum ſplendor tua ſcripta legentur,
Et patriæ æternum ſunt paritura decus.

IANI PELVSII CROTONIATAE.

HEröum, aut Lyricum ſi ludis amabile carmen,
Imparibus ſoluis ſeu magis ora modis:
Phœbus Apollo audit, miratur glauca Minerua,
Obſtupet Aonij docta caterua chori.
Atq; hilares dicunt, primas in carmine partes
Egregio vati nos damus Arcucio.

FINIS.

Imprimatur.
Daniel Epiſcopus & Vicarius gener.

Excudebat Ioannes Boyus.

NEAP. ANNO M.D.LXVIII.

21!